

**ACTA ET STATUTA
SYNODI
DIOCESANAЕ PRAGENSIS
ANNO DOMINI MDCCCLXXIII.**

PONTIFICATUS
PII PAPAE IX.

VICESIMO OCTAVO

CELEBRATAE.

PRAGAE.
IN AEDIBUS CAROLI BELLMANN.

MDCCCLXXIII.

ACTA ET STATUTA

SYNODI

DIOECESANAE PRAGENSIS

ANNO DOMINI MDCCCLXXIII.

PONTIFICATUS

PII PAPAE IX.

VICESIMO OCTAVO

CELEBRATAE.

PRAGAE.

IN AEDIBUS CAROLI BELLMANN.

MDCCCLXXIII.

CONSPECTUS.

Acta Synodi dioecesanae.

Acta praevia.

	pag.
Indictio et convocatio Synodi	I
Norma facienda Synodi	III

Actiones synodales:

Acta Congregationum generalium	IV
Decreta ad formam Synodi pertinentia	X
Sermones synodales	XIV
Promulgatio Statutorum Synodi	XVII

Statuta Synodi dioecesanae.

Caput I.	De religiosa juventutis institutione	1
Caput II.	De catechesibus ponieridianis	6
Caput III.	De bibliothecis parochialibus pro populo instituendis	11
Caput IV.	De casibus reservatis	14
Caput V.	De matrimonio	16
Caput VI.	De libris parochialibus	22
Caput VII.	De observandis s. liturgiae praceptis	24
Caput VIII.	De ordine divinorum officiorum statuendo et observando	27
Caput IX.	De cultu B. Joannis Sarcander M.	28
Caput X.	De causa super cultu B. Agnetis reassumta	30
Caput XI.	De confraternitate pro cultu Sanctissimi et comparandis sacris supellectilibus	31

	pag.
Caput XII. De installatione neobeneficiati	31
Caput XIII. De conventione parochorum eorumque adjutorum	32
Caput XIV. De clericali vestitu	35
Caput XV. De cassa dioecesana pro indigentiis Cleri	36
Statuta cassae dioecesanae	36
Caput XVI. De unione s. Josephi pro indigentiis Cleri deficientis	41
Statuta unionis s. Josephi	41
Caput XVII. De testamentis Cleri	46
Caput XVIII. De observandis decretis et statutis synodalibus	47

Appendix.

Decretum supr. Congregationis s. Officii de casibus Papae reservatis	49
Constitutio Pii PP. IX. de censuris latae sententiae	49
Stanovy jednoty ku klanění se nejsv. Svatosti oltářní	57
Statuten des Vereines zur Anbetung des allerh. Altarssacramentes	57

~~~~~

# ACTA SYNODI DIOCESANAЕ.

---

## I.

### ACTA PRAEVIA.

#### 1. Indictio et Convocatio Synodi.

**FRIDERICUS,**

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA S. R. E. TITULI S. AUGUSTINI

**CARDINALIS PRESBYTER ET ARCHIEPISCOPUS**

**PRAGENSIS PRINCEPS,**

*Universo Almae Civitatis et Archidioecesis Pragensis Clero dilecto*

*Salutem et Benedictionem in Domino!*

Etiamsi labentibus saeculis nova Episcopis in regimine pastorali accreverint auxilia et copiosa media, quibus pristina Synodorum per singulas dioeceses frequentatio efficaciter suppletur: Nos tamen, quum avitam synodalium conventuum traditionem Deo favente in hac Provincia instaurasse contigerit, eandem quoque custodire et ad Cleri gregisque Dominici spiritualem profectum conservare vovimus et ardenter desideramus.

Dolemus propterea, talem in hac amplissima Archidioecesi Nobis ipsis Nostrisque in vinea Domini coadjutoribus provenire in dies negotiorum congeriem, talesque deficientibus undique operariis, plurimisque egestate pressis parochis obviare difficultates, ut frequentiores cogere Synodos, et in eis cordis consolationem querere prorsus detineamur. Jucundissimos autem in plurimis Nostrri munera molestiis fuisse dies synodales candide profitemur, nec unquam in animo oblitterabitur solaminum memoria, quibus Nos Deus primam cum fratribus Synodus facientes mirifice recreavit.

Elapso abhinc decennio occurrit annus Domini acceptus, a fundatione Episcopatus Pragensis nongentesimus, quo praeter alia illorum quoque Praedecessorum Nostrorum memoriam grati recolimus, qui summa in frequentandis Synodis sedulitate claruerunt et uberrimos inde disciplinae ecclesiasticae fructus derivarunt.

Quorum vestigiis insistentes, quumque obortam quaestionem de augenda Cleri dotatione hoc anno Nobis jubilaeo ad optatum finem perducere desideremus, ad hanc aliasque materias collatis Cleri consiliis tractandas Synodus dioecesanam diebus XXVIII. et XXIX. proximi mensis Maji in hac Metropoli celebrandam annuntiamus, ad quam eos omnes, qui de jure vel consuetudine synodali conventui interesse tenentur, convocatos esse praesenti Edicto declaramus.

Districtim autem advocamus Reverendissimum Nostrum Episcopum Suffraganeum et Vicarium Generalem ac Officiale, pariterque Reverendissimum Metropolitanae Ecclesiae Nostrae Capitulum semper fidele, item civitatis hujus Parochos, aliosque Regulares parochiali jurisdictione curam animarum gerentes, qui singuli, nisi justum supervenerit impedimentum, Synodo interesse jubentur.

Peramanter etiam invitamus Capitulorum Collegiatorum Procuratores, Superiores Regularium Pragae degentes, Ss. Theologiae Doctores, Seminarii Nostri praepositos, nec non illos cujuscumque ordinis viros ecclesiasticos, quos literis singillatim per Nos scriptis ad Synodum vocare in Domino placebit.

Districtim porro requirimus Vicarios Nostros foraneos, et insuper mandamus, ut praeter eos e singulis Districtibus foraneis unus Parochus a reliquis ejusdem Districtus animarum Curatis absoluta suffragiorum pluralitate designandus, et ex ampliori Comitatus Glacensis Districtu saltem duo Parochi eodem modo eligendi tamquam Procuratores ex officio ad Synodum accedant; reliquos omnes, quum alii deficiente sacerdotum copia a gregibus sibi creditis nec per paucos dies abesse queant, aliis alia impedimenta et difficultates obstent, ab accessu indulgenter in Domino eximimus, salva caeteroquin cuiuslibet Parochi libertate, in Synodo comparendi.

Caetera ad praeparandas actiones synodales et Synodi celebrationem necessaria Reverendissimo Nostro Vicario Generali et Officiali ordinanda committimus.

Publicantes hocce Convocationis Edictum, universum simul dilectum in Domino Clerum Archidioecesanum enixe hortamur, ut Nobiscum assiduis precibus exoret Deum Patrem omnipotentem, Filiumque ejus Unigenitum, Sanctum quoque Paraclitum Spiritum, quatenus celebrandam Synodum visitare, disponere et benedicere dignetur, ut per omnia, quae collatis consiliis agenda sunt, Clerus et populus ad aeternae proficiat salutis augmentum.

Datum Pragae Dominica Resurrectionis Domini, quae incidit in diem decimam tertiam mensis Aprilis, anni ab Incarnatione Domini millesimi, octingentesimi, septuagesimi tertii.

**Fridericus Cardinalis Schwarzenberg,**  
**Archiepiscopus.**

## 2. Norma facienda Synodi ab Eminentissimo Archiepiscopo definita.

### Praevia.

1. Facta per Vicarios foraneos relatione de sacerdotibus ex officio ad Synodus venturis parentur, quantum fieri poterit, et quae in aedibus Cleri civitatis praesto erunt, commode distribuantur *hospitia*, ne quis ad publicum hospitium divertere cogatur.

2. Conficiatur porro Catalogus synodalnis, exhibens nomina omnium et singulorum, qui tum e civitate, tum ab extra venturi Synodo intererunt.

3. Actiones indictae Synodi expedientur in *Congregationibus*

- a) *particularibus*, seu consultationibus *Sectionum*, quibus illi Synodi Sodales intererunt, qui pro singulis Sectionibus Consultores constituentur,
- b) *generalibus*, quae solenniorum Sessionum vices gerent et vel ideo adstantibus cunctis Synodi Sodalibus et Officialibus habebuntur.

4. *Sectiones* ordinabuntur *tres*, quarum *prima* potissimum tractabit materiam synodalem de religiosa juventutis institutione, de catechesibus pomeridianis, de bibliothecis parochialibus pro populo instituendis, *altera* quaestiones matrimonium, parochiales matriculas, casus reservatos, sacros ritus et republicationem legum ecclesiasticarum concernentes, — *tertia* denique quaestionem de fundo dioecesano pro augenda Cleri dotatione et de sodalitate ad procurandam pensionem Cleri deficientis.

### Die prima 28. Maii.

1. Omnes veste talari induti convenient hora  $\frac{3}{4}8$  matutina in ecclesia Ss. Salvatoris, adventum Antistitis exspectaturi.

2. Hora 8. celebratur Missa, qua finita recitat hymnus: *Veni Creator*, una cum versiculo, responsorio et oratione: *Adsumus*.

3. Post Missam omnes convenient in aula I. aedium facultatis theologicae excepturi allocutionem Antistitis Ejusque publicationes, exordium et ordinem Synodi concernentes.

4. Mox in aulis II. III. et IV. sequuntur *Congregationes particulares* trium Sectionum, distributo per singulas Sectiones Clero synodali, et additis cuilibet Sectioni Officialibus, videlicet Praeside, Vicepraeside et Notario. Consultationibus praemittuntur breves preces prout in Collationibus Cleri. Praeses optimo quo fieri poterit modo consultationes dirigit, Notarius scripto adnotabit vota seu desideria singulorum Consultorum, ut de his in Congregatione generali annuente Ordinario tractetur; de omnibus conficiet Protocollum finita actione praelegendum et Archiepiscopo exhibendum. In fine consultationis, quae vero ultra horam circiter  $1\frac{1}{2}$  non protrahatur, persolvetur gratiarum actio ut in Collationibus Cleri.

5. Hora 1. prandium in Refectorio Seminarii.

6. Hora tertia *Congregatio generalis* in aula Nr. 1. Antistes praemissis brevibus precibus dilucidabit singulas propositae materiae synodalis partes, exponuntur eidem consilia et desideria Procuratorum Cleri. Publicantur nomina Examinatorum pro *Ordinandis* ab Antistite constitutorum, et proponentur *novem* Examinatores *promovendorum ad beneficia curata*. Ad exquirenda Synodi vota distribuentur schedae, nomina propositorum Examinatorum exhibentes, data Synodalibus libertate, expungendi e numero propositorum nomina *trium*. Collecta hujusmodi vota excipiunt Scrutatores altera die Antistiti de peracto scrutinio rationem reddituri.

7. Pro arbitrio Archiepiscopi suspenditur ad tempus breve ab Eodem assignandum Congregatio, qua iterum reassumta publicabuntur Statuta synodalia ab Antistite approbata. Precibus brevibus actio finitur.

### **Die secunda 29. Maii.**

1. Hora 8. celebratur Missa in ecclesia Ss. Salvatoris, qua finita habebuntur *Congregationes particulares*, in quibus reliquae materiae synodales expedienda erunt.

2. Hora 1. prandium.

3. Hora 3. *Congregatio generalis*, cujus actionibus finitis publicantur tum Examinatores *promovendorum ad beneficia curata in Synodo approbati*, tum Testes synodales ab Antistite electi, qui singuli, si praesentes sint, statim accedunt ad Antistitem juramento devinciendi. Promulgantur porro alia Statuta synodalia ab Archiepiscopo approbata. Quibus actis sequitur brevis allocutio Eminentissimi; dein omnes descendant in ecclesiam, ubi recitatur hymnus „Te Deum laudamus“ cum versiculo et Oratione, cantatur ter Sanctus et data benedictione cum Sanctissimo Synodus in pace dimittitur.

## II.

### **ACTIONES SYNODALES.**

#### **1. Acta Congregationum generalium.**

##### **Inchoatio Synodi.**

Anno Domini millesimo octingentesimo septuagesimo tertio, die 28. Maji, quae fuit fer. IV. ante festum Pentecostes, hora 8. matutina convenerunt ad Synodus Presbyteri ex Archidioecesi centum quinquaginta, quorum nomina recententur in Catalogo Sectionum. \*) In Ecclesia ss. Salvatoris congregati adventum

\*) Vide pag. V. et seqq.

*Eminentissimi Antistitis* praestolabantur; qui Ecclesiam ingressus, Clero in utraque navis et presbyterii parte genuflectenti modo solito benedicens ad aram majorem processit *Missamque* celebravit, qua finita hymnus „*Veni Creator*“ solenniter decantatus fuit una cum versiculo, responsorio et oratione: „*Adsumus*.“

Hora dimidia nona omnes in aula I. aedium facultatis theologicae converunt, ubi Eminentissimus Antistes brevi *allocutione* salutavit advenas simulque de rebus, quas consilio cleri submittere constituerat, animum suum aperuit.

Sine mora dein ad instantiam Promotoris mandat Antistes, ut paelegatur decretum de *Synodo inchoanda* et alterum de *fidei professione* emitenda; quibus per Notarium paelectis Antistes versus Crucem genuflexus alta voce recitavit professionem fidei, ceteris Eum comitantibus.

Hisce absolutis Notarius ex mandato Eminentissimi legit reliqua decreta ad formam Synodi pertinentia, nimirum: decretum de *praejudicio* non afferendo, decretum de *judicio Synodi*.

Judicij hujus, ut ajunt, querelarum et excusationum Praeses ab Eminentissimo electus fuit Reverendissimus Dom. Episcopus Joppensis et Vicarius generalis Dr. *Carolus Franciscus Prucha*, cui in obeundo munere socii et Judices synodales constituti sunt: *Jandaurek Antonius*, S. M. E. Canonicus, et *Bernard Joannes*, S. M. E. Canonicus.

Adhuc paelectum est decretum de *Officialibus Synodi* et de constitutis Sectionibus synodalibus. Officiales duo nominati sunt, videlicet: Promotor Synodi: Dr. *Tersch Eduardus*, S. M. E. Canonicus; et Notarius Synodi: Dr. *Borový Clemens*, juris can. professor.

Ut autem materia in Synodo tractanda brevissimo duorum dierum termino et modo quoad fieri posset optimo expediretur, placuit Eminentissimo Antistiti tres constituere *Sectiones synodales*, quarum cuilibet assignata fuit pars propositae materiae, collatis consiliis deliberandae. Mandavit itaque Notario, ut legatur *Catalogus* infra positus, in quo exhibentur nomina eorum, quos Antistes singularum sectionum deputavit *Officiales* atque *Consultores*.

### I. Sectio.

Praeses: *Küffer Albert*. de Asmansvill., S. M. E. Praelatus Archidiaconus.

Vicepraeses: *Hora Antonius*, S. M. E. Canonicus.

Notarius: *Dlask Antonius*, Dec. Kurim.

### Consultores.

|                                                  |                                                   |
|--------------------------------------------------|---------------------------------------------------|
| <i>Baldermann Jos.</i> , Par. Habakladrau.       | <i>Duchek Joan.</i> , Dr., Par. S. Mar. ad Nives. |
| <i>Bernard Joan.</i> , S. M. E. Canonicus.       |                                                   |
| <i>Blanda Franc.</i> , Cat. et docens Catech.    | <i>Elbl Carol.</i> , Catech. et. doc. Catech.     |
| <i>Burian Ant.</i> , Admin. Vic. Votic.          | <i>Hafenrichter Laur.</i> , Prof. relig. Prag.    |
| <i>Cerha Josef.</i> , Par. adm. Knin.            | <i>Hampejs Vencesl.</i> , Dec. Lochovic.          |
| <i>Čapka Sebast.</i> , Par. admin. ad St. Jacob. | <i>Hederer Ant.</i> , Vic. Rakonic.               |

|                                                   |                                                  |
|---------------------------------------------------|--------------------------------------------------|
| <i>Hyna Carol.</i> , Dec. Cap. coll. Vet. Bolesl. | <i>Rivnác Ignat.</i> , Par. ad St. Stephan.      |
| <i>Jandaurek Ant.</i> , S. M. E. Can. Custos.     | <i>Slavíček Ant.</i> , Can., Vic. Brundus.       |
| <i>Kabeš Guil.</i> , Par. adm. ad S. Aegid.       | <i>Světlík Venc.</i> , Catech. Prag.             |
| <i>Kareš Franc.</i> , Par. in Volšan.             | <i>Schindler Jos.</i> , Dr., Prof. theolog.      |
| <i>Kozler Ant.</i> , Par. Řešihlav.               | <i>Schmude Theod.</i> , superior Soc. Jesu Prag. |
| <i>Kraus Isidor.</i> , Par. adm. in mont. Sion.   | <i>Schönbeck Franc.</i> , Catech. Prag.          |
| <i>Kroner Franc.</i> , Vic. Bystric.              | <i>Špalek Franc.</i> , Par. Městečko.            |
| <i>Ludvig Jac.</i> , Par. in Šárka S. Math.       | <i>Štěpnická Ant.</i> , Par. Vepřek.             |
| <i>Martin Jos.</i> , Par. Königswart.             | <i>Schwarz Carol.</i> , S. M. E. Can.            |
| <i>Mottl Jos.</i> , Par. Kladno.                  | <i>Trapp Jos.</i> , Par. Druzdova.               |
| <i>Müller Christoph.</i> , Vic. Theusing.         | <i>Ullmann Ant.</i> , Vic. Lutic.                |
| <i>Petr Eduard.</i> , Dr., Prof. theolog.         | <i>Warter Ferdin.</i> , Cap. ad S. Mar. de Vict. |
| <i>Piskáček Alois.</i> , Par. Sázava.             | <i>Wehnl Joan.</i> , Vic. Hayd.                  |
| <i>Polanecký Adalb.</i> , Par. Koloděj.           | <i>Vilím Joannes.</i> , Par. Lodenic.            |
| <i>Pondělík Franc.</i> , Par. Trnova.             | <i>Zeibig Joan.</i> , Vic. Plan.                 |
| <i>Razák Franc.</i> , Cap. ad St. Nicol.          | <i>Zennefels Jos.</i> , Semin. Vice-dir.         |
| <i>Redinger Vitus.</i> , Par. Liebenstein.        |                                                  |

*II. Sectio.*

*Praeses: Tersch Eduardus*, S. M. E. Can. et Dec. ad S. Apolin.

*Vicepraezes: Heinrich Mathias*, Can. Vyšehr., par. ad. S. Mar. in Teyn.

*Notarius: Hrádek Franc.*, Dr., Sem. Vicedir.

*Consultores.*

|                                                   |                                                 |
|---------------------------------------------------|-------------------------------------------------|
| <i>Bier Georg.</i> , Dec. Manetin.                | <i>Jennemann Filip.</i> , Par. Haslau.          |
| <i>Borový Clem.</i> , Dr., Prof. theolog.         | <i>Jiroušek Franc.</i> , Par. Ouběnic.          |
| <i>Brand Franc.</i> , Vic. Glac.                  | <i>Kafka Alois.</i> , Can. Vyšehrad.            |
| <i>Brož Joan.</i> , Cap. Bezdědic.                | <i>Klumpar Joan.</i> , Par. Slivice.            |
| <i>Dietl Mich.</i> , Par. Schönbach.              | <i>Kořan Franc.</i> , Semin. P. Spirit.         |
| <i>Dyk Jos.</i> , Par. ad St. Kilian.             | <i>Lukas Eduard.</i> , Par. adm. ad S. Thom.    |
| <i>Ehrenberger Jos.</i> , Can. et Vic. Auloreg.   | <i>Macháčka Jos.</i> , Par. adm. ad S. Franc    |
| <i>Eidkum Joan.</i> , Par. Tuschkau.              | <i>Matiak Petr.</i> , par. Krut.                |
| <i>Fanta Anton.</i> , Par. in Podskal.            | <i>Meindl Franc.</i> , Cap. Lutic.              |
| <i>Hafenrichter Franc.</i> , Vic. Lichtenstadt.   | <i>Merhaut Petr.</i> , Par. ad St. Gallum.      |
| <i>Hackenschmied Andr.</i> , Par. Gossengrün.     | <i>Micka Franc.</i> , Par. Noutonic.            |
| <i>Hanika Ant.</i> , S. M. E. Can.                | <i>Münnich Ernest.</i> , Par. Kunzendorf. com.  |
| <i>Havlů Joan.</i> , Cap. ad St. Stephan.         | Glac.                                           |
| <i>Hemmet Nicol.</i> , Par. Gosolup.              | <i>Nigrin Franc.</i> , Vic. Neostrašec.         |
| <i>Hoffmann Joan.</i> , Prior Conv. Crucig.       | <i>Nitschke Franc.</i> , Par. Rengersdorf. com. |
| <i>Hoffmann Ernest.</i> , Secret. Vic. Glac.      | Glac.                                           |
| <i>Janata Melchior.</i> , Cap. ad S. Mar. ad Niv. | <i>Pavla Joan.</i> , Praepos. Raudnic.          |
| <i>Jareš Joan.</i> , Prior Conv. Melitens.        | <i>Plevka Joan.</i> , Cap. Sen. Pilsn.          |
| <i>Jecmen Joan.</i> , Par. Popovic.               | <i>Pfannerer Otto</i> , Par. Pistau.            |

*Pomajsl Franc.*, Vic. Sédlčan.  
*Reinwarth Ant.*, Dr., Prof. theolog.  
*Rustler Abrah.*, Par. Maiersgrün.  
*Soukup Franc.*, Par. Ouval.  
*Šabat Jos.*, Vic. Beraun.  
*Schauer Franc.*, Dec. Čelakovic.

*Schlesinger Jos.*, Par., Kej.  
*Švehla Vinc.*, Adm. Smíchov.  
*Victorin Ant.*, Adm. Vic. Pürglic.  
*Wilfling Andr.*, Vic. Joachimsv.  
*Würfel Adolf.*, Dr., S. M. E. Prael.  
 Praepositus.

### III. Sectio.

Praeses: *Frind Anton.*, S. M. E. Can.  
 Vicepraezes: *Kulda Benedict.*, Can. Coll. eccl. Vyšehrad.  
 Notarius: *Knobloch Eduard*, Dr., catecheta Prag.

### Consultores.

|                                                |                                                    |
|------------------------------------------------|----------------------------------------------------|
| <i>Auer Joachim.</i> , Vic. Falkenau.          | <i>Lindner Joan.</i> , Vic. Kolin.                 |
| <i>Auerhann Franc.</i> , Vic. Slan.            | <i>Mayer Sales.</i> , Dr., Consist. Consil.        |
| <i>Böhm Adalb.</i> , Par. ad St. Spirit.       | <i>Mašek Carol.</i> , Par. Carolinenthal.          |
| <i>Breischl Josef.</i> , Can. Vet. Boleslav.   | <i>Mottl Vinc.</i> , Par. Jankov.                  |
| <i>Brehm Ant.</i> , Par. Chieš.                | <i>Náhlovský Vinc.</i> , Dr., Can. ad. O. O. S. S. |
| <i>Brož Venc.</i> , Vic. Příbram.              | <i>Navrátil Carol.</i> , Cur. in Karlshof.         |
| <i>Černický Ant.</i> , Par. Chlum.             | <i>Nykles Venc.</i> , Par. ad St. Adalbertum.      |
| <i>Chodéra Math.</i> , Vic. Nigro-Kostelec.    | <i>Pelikan Adalb.</i> , Vic. Mies.                 |
| <i>Dyškant Josef.</i> , Cap. Nigro-Kostelec.   | <i>Petermann Laurent.</i> , Par. ad St. Kathar.    |
| <i>Dušek Math.</i> , Par. Budenic.             | <i>Pixa Josef.</i> , Par. Vrbno. ad Silvas.        |
| <i>Ehrenberger Fr.</i> , Can. & Vic. Hořovic.  | <i>Procházka Josef.</i> , Vic. Liboc.              |
| <i>Erhart Carol.</i> , Par. Kladrub.           | <i>Pruša Ant.</i> , Cap. Budin.                    |
| <i>Fischer Franc.</i> , Par. Chodau.           | <i>Raymann Joan.</i> , Par. Nezabudic.             |
| <i>Frida Venc.</i> , Vic. Budin.               | <i>Rehschuh Gust.</i> , Par. Voratschen.           |
| <i>Hajek Joan.</i> , Par. Petschau.            | <i>Simenec Franc.</i> , Par. ad St. Apolin.        |
| <i>Hodík Venc.</i> , Par. ad. St. Vitum.       | <i>Sorger Georg.</i> , S. M. E. Prael. Decan.      |
| <i>Hornsteiner Michael.</i> , Par. Ottenreuth. | <i>Srdíkko Franc.</i> , semin. Direct.             |
| <i>Janda Franc.</i> , Vic. Bohemo-Brod.        | <i>Starý Joan.</i> , Par. ad Ss. Trinit.           |
| <i>Kačerovský Ant.</i> , Adm. Vic. Vlašim.     | <i>Vaněk Ernest.</i> , Par. Leskau.                |
| <i>Karlík Hugo.</i> , Vic. Plsnen.             | <i>Volkmann Joan.</i> , Vic. Graslic.              |
| <i>Kasper Josef.</i> , Secr. Vic. Rokycan.     | <i>Vlasák Ant.</i> , Par. Hradek.                  |
| <i>Kočí Franc.</i> , Can. Vyšehrad.            | <i>Wenig Joan.</i> , Vic. Eger.                    |
| <i>Kohout Joan.</i> , Dec. Neveklau.           | <i>Winter Constant.</i> , Cap. Zettlitz.           |
| <i>Král Josef.</i> , Can. & Vic. Raudnic.      | <i>Zahalka Paul.</i> , Vic. Kralovic.              |
| <i>Lindacker Joan.</i> , Par. Abertham.        | <i>Zimmermann Philipp.</i> , Vic. Prosek.          |

Sectionibus constitutis distributa est ad mandatum Eminentissimi Antistitis inter singulos Sectionum Praesides materia synodalis, typis excusa, quam suis quisque Consultoribus propter examen praevium, in sectionum consultationibus

instituendum distribuere, in fine Synodi vero ejusdem Notario restituere jubebantur.

Postquam Reverendissimus Antistes Synodum edocuerat de methodo, qua consultationes Sectionum singularum (seu Congregationes particulares) fieri debeant, dimisit Clerum ad Congregationes particulares inchoandas, quae ab hora 9. usque ad horam primam pomeridianam durabant.

### Prima Congregatio generalis.

Hora tertia pomeridiana ejusdem diei 28. Maji venit Eminentissimus Antistes in aulam I. facultatis theologicae, et dicta oratione „Adsumus“ inchoavit primam Congregationem generalem.

Ante omnia a Praesidibus Sectionum praelecta sunt aliquot capita materiae synodalis, simulque vota cleri congregati Eminentissimo patefacta, qui plurimis desideriis benigne annuens sine mora publicari jussit *Statuta synodalia*: 1. *De bibliothecis parochialibus*; 2. *de matrimonio*; 3. *de unione s. Josephi*.

Reverendissimus Episcopus Joppensis Dr. Carolus Fr. Prucha proposuit Synodo novam consultationis materiam, videlicet de Confraternitate adorationis Ss. Sacramenti, de festo B. Joannis Sarcander et de cultu B. Agnetis filiae Otacari I. regis Bohemiae. Annuente Eminentissimo Antistite capita haec inter singulas sectiones distribuebantur.

Legibus et traditionibus ecclesiasticis innixus mandavit jam Reverendissimus Antistes, ut publicetur decretum de *Examinatoribus Clericorum* ad Ordines promovendorum. Ex hujus decreti tenore ad munus examinatorum destinati sunt: Dr. Tersch Eduardus, S. M. E. Canonicus; Schwarz Carolus, S. M. E. Canonicus nec non *Seminarii Archiepiscopalnis Superiores* pro tempore existentes. Pro Comitatu Glacensi placuit Reverendissimo Ordinario providere, ut qui Cleri ad beneficia curata promovendi in hac Synodo Examinatores nominabuntur, ordinandos quoque clericos synodali examini subjiciant.

Pro obeundo munere *Examinatorum Cleri ad beneficia curata* promovendi propositi fuerunt novem viri ecclesiastici, qualitatibus ad hocce munus requisitis gaudentes. Ad exquirenda Synodi vota distribuebantur schedae, nomina propositorum Examinatorum exhibentes, data Synodalibus libertate, expungendi ex hoc Catalogo nomina trium, qui ipsis minus placerent. Collectis hujusmodi votis Antistes designavit Scrutatores, qui altera die de scrutinio rite peracto Electionem redderent, et quidem: Promotorem et Notarium Synodi, nec non Franc. Srdinko, Seminarii Archiep. Directorem.

Recitatis precibus praescriptis hora 6. vespertina dimissa fuit Congregatio generalis.

### Altera Congregatio generalis.

Die vigesima nona Maji hora 8. matutina iterum convenerunt omnes Synodi Sodales et Officiales in Ecclesia ss. Salvatoris ibique *Missae* ab Eminentissimo

celebratae interfuerunt, qua finita toto tempore antemeridiano in singulis *Sectionibus* materiae adhuc residuae diligentissime tractabantur.

Hora post meridiem dimidia quarta Eminentissimus in aula I. facultatis theologiae alteram simulque ultimam *Congregationem generalem* precibus „Adsumus“ inchoavit. Mox Praesides singularum Sectionum ad ipsum Ordinarium accedentes vota ac desideria Cleri in Synodo congregati patefecerunt, quibus Eminentissimus pro benigna sua clementia non auditum tantum, sed et assensum maxima parte praebuit.

Mandante Reverendissimo Antistite dein promulgata sunt *statuta synodalia*: 4. De *religiosa juventutis institutione*; 5. de *catechesibus pomeridianis*; 6. de *confraternitate ss. Sacramenti*; 7. de *libris parochialibus*; 8. de *casibus reservatis*; 9. de *contractu parochum inter et capellatum confiendo*; 10. de *ordine divinorum officiorum statuendo et observando*; 11. de *installatione parochi*; 12. de *vestitu clericali*; 13. de *cultu B. Joannis Sarcander*; 14. de *observandis s. Liturgiae praeceptis*; 15. de *condenda Cassa dioecesana Pragensi* s. Adalberti; 16. de *cultu B. Agnetis*; 17. de *testamentis cleri*. Tandem ultimum quoque Statutorum synodalium caput, videlicet decretum Antistitis de *observandis Synodi Statutis Actis ejusdem Synodi inserbatur*.

His absolutis ad instantiam Promotoris mandat Eminentissimus Antistes, ut praelegatur per Notarium Synodi decretum de approbatis Examinatoribus Cleri ad beneficia curata promovendi. Factum est ita et renunciati sunt sequentes *Examinatores synodales*: *Borový Clemens*, theol. Dr.; *Hrádek Franciscus*, theol. Dr.; *Jandaurek Antonius*, S. M. E. Canonicus; *Mayer Salesius*, theol. Dr.; *Srdinko Franciscus*, semin. Director; *Schwarz Carolus*, S. M. E. Canonicus; *Tersch Eduardus*, theol. Dr. et S. M. E. Canonicus. Pro comitatu Glacensi: *Brand Franciscus*, Vicarius Aep. et Archidiaconus Glac.; *Münlich Ernestus*, parochus Kunzendorfensis; *Nitschke Franciscus*, parochus Rengersdorfensis; *Strecke Ernestus*, parochus Habelschwerdensis.

Electi qui aderant, statim ad Antistitem accesserunt et Evangelii tactis jusjurandum emiserunt in verba sequentia: „Juro et promitto, me demandato Examinatoris Synodalis officio fideliter et sine respectu personarum esse functionum. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia.“

Ad instantiam Promotoris praelectum est ex mandato Eminentissimi decretum de *Testibus synodalibus* et nomina virorum, qui ab Ordinario ad munus hoc electi sunt, patefacta, nimirum: *Heinrich Mathias*, Colleg. Cap. Vyšehrad. Canonicus; *Hyna Carolus*, Coll. Capit. Veterobolesl. Decanus; *Růžicka Carolus*, Archidiaconus Pilsnensis; *Auerhahn Franciscus*, Vicarius foraneus; *Hafenrichter Franciscus*, Vicarius foraneus; *Kroner Franciscus*, Vicarius foraneus. Pro Comitatu Glacensi: *Brand Franciscus*, Vicarius foraneus et Archidiaconus; *Nitschke Franciscus*, Notar. Aep. et parochus.

Decreto hoc publicato Reverendissimus Antistes electos Testes, in quantum praesentes erant, evocavit, ut juramentum in manus Ipsius praestarent. Illi ad ipsum Ordinarium accedentes tactis Evangelii jusjurandum in verba sequentia

emiserunt: „Juro et promitto, me munus Testis synodalis pro Deo et propter Deum fideliter esse impleturum. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia.“

Ad ultimum Eminentissimus Antistes finali *Allocutione* Clero suo gravissimum vigilantiae officium injungens omnibusque valedicens Synodales ad suas ecclesias redire jubet, fratribus absentibus salutem, gregibus vero fidelibus benedictionem transmittens.

Postquam Reverendissimus Episcopus Joppensis omnium Synodalium nomine intimas egerat gratias pro paterna Eminentissimi Antistitis sollicitudine in Syntodo luculenter probata, et decretum de *Synodo finienda* per Notarium praelectum fuerat, omnes in Ecclesiam ss. Salvatoris descenderunt, ubi Antistes preces synodales praescriptas persolvit; mox ab universo Clero hymnus „*Te Deum Laudamus*“ recitatus et benedictio cum Sanctissimo ab Antistite impertita fuit, quibus rite peractis synodo dioecesanae finis imponebatur.

Haec omnia et singula eo ipso, quem descripsi modo acta gestaque fuisse testor

Dr. Clemens Borový,  
Notarius Synodi.

## 2. Decreta Eminentissimi Archiepiscopi ad formam Synodi pertinentia.

### De Synodo inchoanda.

*Fridericus*, S. R. E. Cardinalis Schwarzenberg, Princeps Archiepiscopus Pragensis.

Peracto Sacrosancto Missae Sacrificio et implorato Spiritus s. auxilio Synodus praesentem, ad majorem Dei omnipotentis gloriam, in honorem beatissimae Virginis Mariae ac beatorum Martyrum et Patronorum nostrorum, ad sanctae Ecclesiae catholicae prasertim in hac Archidioecesi Nostra incrementum, Clerique et populi Nostri spirituale profectum, nec non ad celebrandam nonam saecularem memoriam aevi natalis almae hujus Cathedrae episcopaloris legitime indicatam amodo inchoamus et canonice apertam declaramus in nomine Domini, qui praesentem Synodum visitare, disponere et benedicere dignetur; per Christum Dominum nostrum!

### De fidei professione emittenda.

*Fridericus*, ut supra.

Ut ab unanimi professione fidei, quam humanae salutis praedicamus radicem et fundamentum, in actionibus hujus Synodi sperandum derivemus successum et fructum: sanctionibus sacri Concilii Tridentini fideliter inhaerentes, professi-

onem fidei secundum formam ab eodem Concilio sancitam Ipsi in hac Synodo protinus emittemus, omnesque actu praesentes obligamus, ut Nobiscum eamdem fidem professuri, se Ecclesiae catholicae intime junctos esse palam testentur.

### **De praejudicio non afferendo.**

*Fridericus, ut supra.*

Quodsi fortasse contigerit, alios in Synodo comparuisse, quin de jure vel de consuetudine conventui synodali interesse teneantur, et alios deesse ad comparendum strictim obligatos, quin praestituto tempore se legitime impeditos probaverint, aliosve convenienti ex officio et dignitate loco non sedere aut incedere, volumus et ad cautelam declaramus, nullum exinde derivari posse praejudicium, sed cuncta in eo ipso juris statu permanere, in quo prius reperiebantur.

### **De Judicio Synodi.**

*Fridericus, ut supra.*

Confidimus quidem in Domino, fore ut in eodem Spiritu pacis collecti sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut nullam in hujus Synodi celebritate contrahamus offensionem. Memores tamen fragilitatis humanae et Synodorum traditioni fideliter inhaerentes constituimus Judicium synodale, cuius erit, obortas fors querelas excipere et de illis sententiam ferre, porro dubia et quaestiones circa ordinem sedendi seu procedendi brevi manu ita componere, ut nulli inde praejudicium generetur, — denique illorum excipere excusationes, qui vel in Synodo non comparuerunt, vel Synode nondum finita discedere maluerint.

Judicii hujus, ut ajunt, querelarum et excusationum praesidem eligimus Reverendissimum Dom. Episcopum Nostrum Suffraganeum et Vicarium Generalem *Carolum Franciscum Prucha*, cui socios in obeundo munere deputamus et Judices synodales constituimus: *Antonium Jandaurek*, S. M. E. Can., *Joannem Bernard*, S. M. E. Can.

### **De Officialibus Synodi, et de constitutis Sectionibus synodalibus.**

*Fridericus, ut supra.*

Servato traditionis ecclesiasticae more ad expediendas sine mora actiones synodales constituimus sequentes Synodi Officiales:

1. *Promotorem Synodi*, cuius erit, usitato more insistere, ut actiones synodales tum quoad formam tum quoad materiam opportune et ordinatim perficiantur, et approbata per Nos Statuta sive Decreta in Congregationibus generalibus praelegantur et publicentur, eligimus *Dr. Eduardum Tersch*, S. M. E. Canonicum,

2. *Notarium Synodi*, cuius erit, Instrumenta actorum in Congregationibus generalibus confidere, sed etiam Instrumenta actorum in singulis Congregationibus particularibus colligere, nec non finita Synodo cuncta in eadem peracta conscribere, designamus *Dr. Clementem Borový*, Juris can. Professorem.

Ut porro materia in Synodo tractanda brevissimo duorum dierum termino et optimo, quo fieri poterit, modo expediatur, placuit Nobis, *tres* constituere *Sectiones synodales*, quarum cuilibet assignavimus partem propositae materiae collatis consiliis deliberandae, distributo videlicet per singulas Sectiones Clero synodali, additisque cuilibet Sectioni Officialibus propriis, nimirum *Praeside* et *Vicepraeſide*, qui consultationes dirigent, et insuper *Notario*, cuius erit, cunctorum, quae in congregationibus Sectionis agentur, confidere Instrumentum. Nomina tum horum Officialium, tum Consultorum cuilibet Sectioni adscriptorum continentur in *Catalogo synodali* protinus p̄aelegendo.

#### De Examinatoribus Cleri

tum constitutis in Synodo, tum eidem Synodo pro approbatione  
proponendis. •

*Fridericus*, ut supra.

Data Nobis in hac Synodo occasione pergrata eligimus et constitutos declaramus Examinatores Clericorum ad Ordines promovendorum sequentes: *Dr. Eduardum Tersch*, S. M. E. Can., *Carolum Schwarz*, S. M. E. Can., nec non *Seminarii Nostri Superiores* pro tempore existentes. Pro Comitatu Glacensi placuit Nobis providere, ut, qui Cleri ad beneficia curata promovendi in hac Synodo Examinatores nominabuntur, ordinandos quoque Clericos synodali examini subjiciant, sive eos legitime examinari procurent.

Pro obeundo munere Examinatorum Cleri ad beneficia curata promovendi proponimus novem viros ecclesiasticos, e quorum numero exquisitis Synodi votis Examinatores constituentur. Scrutatores votorum designamus Promotorem et Notarium Synodi, nec non *Franc. Srdinko*, Sem. Direct.

#### De examinatoribus promovendorum ad beneficia curata.

*Fridericus*, ut supra.

Notum facimus omnibus et singulis hic praesentibus, Examinatores promovendorum ad beneficia parochialia approbatos in Synodo et auctoritate Nostra constitutos esse sequentes: *Borový Clementem*, Theol. Drem., *Hrádek Franciscum*, Theol. Drem., *Jandaurek Antonium*, S. M. E. Canonicum, *Mayer Salesium*, Theol. Drem., *Srdíkno Franc.*, Sem. directorem, *Schwarz Carolum*, S. M. E. Canonicum, *Tersch Eduardum*, Theol. Drem. et S. M. E. Canonicum. Pro Comitatu Glacensi: *Brand Franciscum*, Vicarium et Archidiac. Glac., *Miinnich Ernestum*, parochum Kunzendorfensem, *Nitschke Franciscum*, parochum Rengersdorfensem,

*Strecke Ernestum*, parochum Habelschwerdensem. Confidentes in Domino, fore ut demandato sibi munere fideliter et sine respectu personarum functuri sint, provocamus electos, qui adsunt, ut juramento coram Nobis emitendo, Examinatoris synodalis officio sine mora devinciantur. Ut eodem modo absentes tradito sibi muneri devinciantur, finita Synodo procurabimus.

### De Testibus Synodalibus.

*Fridericus*, ut supra.

Concilium provinciae Pragensis (Tit. VI. cap. 3) sancivit, ut in Synodo dioecesana ab Episcopo loci septem e dioecesi eligantur viri ecclesiastici, aetate moribusque graves, qui simpliciter et de plano absque ulla jurisdictione investigent, quae correctione vel reformatione sint digna, et ea fideliter, prout spiritus et prudentia suggesserit, Nobis aperiant, quatenus, si de rebus quibusvis minus provisum sit, rectius per Nos tum in Synodo tum extra Synodus provideratur. Eorum praesertim est, collaborare Nobiscum, ut omnia et singula Decreta Concilii nostri provincialis, nec non Statuta nostrae Dioeceseos synodalia, quantum fieri poterit, in usum deducantur et unitis totius Cleri viribus piissime custodiantur.

Eligimus itaque, ut amodo Testium synodalium munere fungantur, electosque palam nominamus sequentes: *Mathiam Heinrich*, Colleg. Cap. Vyšehrad. Canonicum; *Carolum Růžička*, Archid. Plsnensem; *Carolum Hyna*, Coll. Capit. Veterobolesl. Decanum; *Franc. Auerhahn*, Vic. for.; *Franc. Hafenrichter*, Vic. for.; *Franc. Kroner*, Vic. for. -- Pro Comitatu Glacensi: *Francisc. Brand*, Vic. for. et Archidiac., et *Franc. Nitschke*, Notar. A. Ep. et paroch.

Electi, qui adsunt, accedant, ut in manus Nostras interposito jurejurando spondeant, se munus susceptum fideliter pro Deo et propter Deum esse impleturos. Ut absentes pari modo obstringantur, finita Synodo procurabimus.

### De Synodo finienda.

*Fridericus*, ut supra.

Absolutis omnibus et singulis, quae in hac Synodo collatis Cleri Nostri consiliis deliberanda et statuenda proposuimus, Deo omnium bonorum largitori humillimas gratias agimus, et ut, quum velle dederit, pius ac clemens det quoque perficere, supplices rogamus et assiduis flagitare precibus spondemus.

Dumque auctoritate Nostra praesentem Synodum finitam esse palam denuntiamus: dilectum Clerum synodalem in Domino dimittimus, impertientes tum praesentibus, tum fratribus absentibus paternae charitatis Nostrae certissimum pignus, Benedictionem Nostram in nomine Domini, ut excitati a temporali Synodo proficiamus ad aeternae felicitatis augmentum. Per Christum Dominum Nostrum!

### 3. Sermones synodales.

*a) Eminentissimi Antistitis allocutio, qua Synodus inchoata fuit.*

*Venerabiles, in Christo Charissimi Fratres!*

*Filii Dilectissimi!*

Saluto vos, dilecti filii et fratres, in charitate Dei et Domini Nostri Jesu Christi.

Intimo gaudio perfundor, dum vos collectos et congregatos conspicio veluti filios, qui circumdant et ornant patrem suum.

Si s. Paulus Apostolus Philippenses *omnes* gaudium suum, coronam suam compellat (4, 1): quanto magis *clerus* pulcherrima corona est Episcopi sui, summa ejus laetitia, quum *uno* spiritu, *una* quasi *anima*, ei adglutinatur.

Ecclesiae catholicae signum atque vexillum *unitas* est: una fides, unum baptisma, *unum* et *sacerdotium*: contra *unitatem Ecclesiae* non praevalebunt inferi. Quapropter, si hostes Ecclesiae, id probe intelligentes, Ecclesiam et regnum Christi destruere *ita* volunt, ut *unitatem* ante omnia adoriantur: efficacissima contra ipsos pugna est, *servare unitatem*. Si populum a clero, clerum ab episcopo, universos a Summo Pontifice, centro unitatis, avellere et segregare allaborant: quo magis insurgunt venti, quo *ferocius* saevit procella, eo arctius, eo penitus jungamus mutuae cohaesionis vinculum, per quod navis Christi felicissime servatur incolumis.

Ad firmandam istam animorum unionem vos, dilecti filii, ad hanc congregationem advocavi: vestris frui volebam consiliis, ut judicio et sapientia vestrum suffultus eo certius vestram operam, studium et zelum vestrum consequerer.

Difficultates quidem nos undique circumdant: impedimenta, aggressiones fere submergunt. Vere dictum Domini impletur: „*Eritis odio omnibus propter nomen meum.*“ — Pacem haberemus, si cum mundo essemus: quia cum Christo *obvertimur* mundo, in *bello* versamur. Verum *nolite timere*, *pusillus „grex: haec est victoria,* „*quae vincit mundum*, „*fides nostra.*“ Quidcunque humanae moliantur potestates et artes, si in fide Christi pugnamus, superiores sumus. — Videte itaque, fratres, ut arma Christi sumatis: simplicitatem columbae, serpentum prudentiam.

Simplicitatem columbae imitamur, si recta intentione agimus, si veritatem, si justitiam servamus: serpentum prudentiam sequimur, si apta remedia malis adhibemus. Proin nemo vestrum aliud quaerat nisi regnum Dei ac salutem animarum: nemo aliud remedium suadeat, quam quod consonet Evangelio et quod vere sit salubre.

Etsi res quam plurimae sollicita consideratione indigeant, tamen paucas solum et urgentiores consiliis vestris submittere constitui.

Nihil est, quod magis ad religionem pertineat, quam christiana *juventutis* formatio. *Summa* damna, et irreparabilia, christianae reipublicae inferuntur, si

scholae institutio *contra fidei doctrinam*, vel etiam *absque religionis unguento peragitur*. Quantis in hac re periculis et damnis affligamur, vos omnes noscitis. Considerate igitur, et intentis curis pensate, quibus auxiliis et quo optimo modo animarum pastores huic ingruenti fidei ac morum detrimento occurtere debeant. Parvolorum animae immortales *Christi* sunt, *Ecclesiae* sunt: scholam deserere nil aliud foret nisi spem abjcere communis salutis futurae.

Sunt alia gravia quaedam, quae parochialem curam attinent, maxime in re *matrimoniorum*, ubi recentiores ordinationes civiles non modicam difficultatem facessunt. Eas quum immutare non possimus, videndum est, quo modo, Caesari dantes, quae Caesaris sunt, non obliviscamur dare Deo, quae sunt Dei.

Denique *externa* potissimum cleri *conditio*, quo optimo modo sublevetur, serio et efficaciter considerandum est. Dum civitatis auxilium jure praestolamur, unanimis jam consensus vester postulavit, ut propriis ante omnia viribus innitamur. Laetus excepit promptitudinem vestram, qua pro suo quisque modulo indigentiis fratrum succurrere festinavit. Commune hoc auxilium jam in ordinem redigendum, fixis regulis circumscribendum videtur.

Agite itaque, dilectissimi filii et fratres, prout charitas vos et prudentia jusserit. Incoepio insistentes, in spiritu concordiae et pacis in illa consilia devenietis, quae vobis et populo christiano proficia, in gloriam Dei et Ecclesiae in honorem cedant, ut secundum Apostolum (I. Tim. 5, 14) nullam occasionem maledicendi detis adversario.

Deus consilii et Spiritus illuminationis et sanctitatis sit vobiscum!

**b) Allocutio finalis Eminentissimi Antistitis in altera Congregatione generali.**

*Venerabiles et dilectissimi Fratres!*

Consultationes nostrae, dilecti filii et fratres, ad finem pervenerunt. Breve tempus erat, quod eis concedebatur: nam diutius vestro jucundo consortio frui, neque proxima Pentecostes festa neque alii munera vestri labores permittunt.

Sed *laeto animo* fructum percipio ex vestra unanimi charitate, — *consolationem ex* sollicitudine, qua consultationes peregistis, — *fiduciam ex* consensu, quo in salubria, ut spero, decreta convenistis, — et *bonum ac securum* animum ex promptitudine et zelo vestro, quo legem diocesanam etiam in effectum deducere non omittetis.

Profecto, fratres mei charissimi, hoc unum sit nostrum propositum, haec sit nostra laetitia et omnis vita, ut officio pastorali ex toto corde, ex vero animo, ex intentione sancta inserviamus, ut nos totos et omnes Deo sacrificemus. Quod Apostolus monet, omnibus dictum est: „*Attendite vobis et universo gregi.*“

*Attendite* — sollicita cura circumspicite, ubi aliqua indigentia spiritualis in vestro grege, in familiis, in singulis hominibus, — indigentia in fide, in moribus, ut ei succuratis.

*Attendite* — sive indigus et aegrotus se ipse monstraverit, sive eum quaerere et invenire debeatis. Bonus pastor non quaeritur tantum ab ovibus,

## XVI

sed eas ipse et ultro perquirit. *Attendite vobis et gregi*, ut dum alios salvare vultis, etiam ipsi salvemini. Bonus pastor exemplo suo praeit, et sequuntur eum oves.

Nolite timere hostes, non difficultates, non adversitates: bonus pastor animam dat pro ovibus.

Christum itaque intuentes, ducem et pastorem animarum nostrarum, tanquam boni et fideles servi sequimini ejus exemplum, qui non venit ministrari, sed ministrare ceteris; qui non imperare voluit, sed obediens et humilis pertransiit benefaciendo.

Et quod reliquum est, nolite solliciti esse de rebus temporalibus, quae transeunt, sed de aeternis. — Non thesauros quaeramus, quos aerugo et tinea corruptit, sed illos qui non deficiunt, quia in coelis sunt. Habentes alimenta et quibus tegamur, contenti simus: nihil enim intulimus in mundum: haud du-  
biū, quod nec auferre quid possumus (I. Tim. 6, 7—8).

Dimitto vos itaque in nomine Dei et Domini nostri Iesu Christi, ut in pace seminetis pacem — illam, quae ex Deo est, et quam mundus non novit. Gratias vobis ago omnibus et singulis pro charitate et sollicitudine, qua huc adfluxistis et consultationibus interfueritis. — Benedico vobis ex toto corde, et eandem benedictionem etiam absentibus fratribus et omnibus fidelibus communi-  
cate. Valete, charissimi, in Domino, Eumque pro me quoque orate. Amen.

Promulgatio Statutorum Synodi dioecesanae.

**FRIDERICUS,**  
**S. R. E. TITULI S. AUGUSTINI**  
**PRESBYTER CARDINALIS SCHWARZENBERG,**  
DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA  
**PRINCEPS ARCHIEPISCOPUS PRAGENSIS**

*Dilecto Archidioecesis suae Clero et fidi populo*

*Salutem in Domino!*

Peractis Deo favente fortunatissimi Centenarii ab erecto Episcopatu Pragensi noni solennitatibus publicis, ad quas tum condigne praeparandas, tum summo decore celebrandas omnes industriae et sollicitudinis nervos applicavimus, unum Nobis superfuit curae pastoralis officium, ut videlicet Synodi dioecesanae, cui ad augendum quoque praefati Jubilaei honorem incubuimus, Acta et Statuta ad totius Cleri Nostri notitiam deferamus.

Idcirco authenticum horum Actorum et Statutorum exemplum in Archivo Curiae Nostrae repositum, recognito diligenter textu originali, prelo committi mandavimus, typisque evulgata praefatae Synodi Acta et Statuta Auctoritate Nostra Ordinaria Litteris praesentibus in nomine Domini promulgamus et rite per universam Archidioecesim promulgata declaramus.

De caetero dilectum Clerum Nostrum ad publicatam capite XVIII. legem nostram de observandis synodalibus Statutis remittimus, sperantes in Domino, fore, ut quae in ista Synodo collatis fratum et filiorum Nostrorum votis ac consiliis sancivimus, viribus unitis custodire et in praxim deducere jugiter collaboret.

Datum Pragae in festo Nativitatis D. N. Jesu Christi, anno millesimo octingentesimo, septuagesimo tertio.

**Fridericus,**  
Cardinalis et Archiepiscopus.

# STATUTA SYNODI DIOECESANAE.

---

In Nomine Sanctae et Individuae Trinitatis, Patris  
et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

NOS FRIDERICUS, Dei et Apostolicae Sedis Gratia  
S. R. E. Tituli s. Augustini Cardinalis Presbyter, et Archi-  
episcopus Pragensis Princeps in Synodo dioecesana, quam  
publicato die XIII. Aprilis hujus anni MDCCCLXXIII. cano-  
nico Convocationis Decreto omnibus et singulis, ad quos per-  
tinet, rite indiximus, et die vigesima octava Maji ejusdem  
anni, praemisso Sacro in aedibus Seminarii Nostri sollenniter  
aperuimus, invocato Dei auxilio et exquisitis Synodi votis  
atque consiliis Auctoritate Nostra Ordinaria decernimus, sta-  
tuimus et sancimus, quae sequuntur:

## CAPUT I.

### De religiosa juventutis institutione.

Ecclesia catholica, cum omnium quidem fidelium mater  
sit atque magistra, praecipua tamen dilectione juventutem sibi  
creditam amplectitur. Religiosam proinde juventutis institu-  
tionem et educationem in Ecclesia maximi momenti semper  
fuisse, nemo est qui nesciat. Scholae ad erudiendam et edu-  
candam juventutem erectae teste historia e sinu Ecclesiae pro-  
dierunt, eaque protegente et indefesso studio jugiter adlabo-  
rante instar bonae arboris bonum fructum fecerunt, adeo ut

sine maxima injuria et supinae ingratitudinis macula, imo absque gravissimo, quo salvanda juventus et ipsa humana societas plecteretur, dispendio ab Ecclesia separari vel avelli nequeant.

Dum itaque justo dolore conquerimur, novissimo legum saecularium apparatu scholas pristinae directioni Ecclesiae subtractas et catholico charactere destitutas fuisse; dumque tristes abhinc experimur, quanta impietate Ecclesiae nominisque christiani adversarii scholam in dies magis ab Ecclesia separare atque religionis doctrinam et exercitia e scholis eliminare molliuntur, Clerum Nostrum impensisime rogamus, hortamur et in Domino obsecramus, ut memor legum ecclesiasticarum, quae scholas ab Ecclesia nequaquam separari, sed adhibitis omnibus, quae praesto sunt, mediis intimius cum Ecclesia conjungi volunt, quantum poterit, tantum ad avertenda graviora damna audeat, noveritque, animarum pastorem, etiamsi in scholis sub regimine saeculari constitutis avito directoris et inspectoris munere non amplius fungatur, manere tamen patrem spiritualem juventutis per baptismum in sinum Ecclesiae receptae, quam proinde paterno affectu foveat oportet, omnemque operam navet, ut institutio et educatio ejusdem juventutis magis magisque proficiat. Quamvis igitur inter leges saeculares scholastica negotia concernentes plures Ecclesiae et Religioni christiana minus faventes, imo prorsus inimicæ reperiantur, hac de causa tamen schola nequaquam a Clero negligenda est, neque juri divino renuntiandum, sed eo sollertiauſ currandum, ut institutio et educatio juventutis catholicae catholica maneat et spiritu Ecclesiae abunde vegetata. Hunc in finem ad ipsas leges saeculares, quatenus institutioni et educationi religiosae aliquo saltem modo favent et influxum Cleri in scholam admittunt, sollicite provocandum erit, adhibitis diligenter et prudenter mediis omnibus, quae saeculares leges pastoribus animarum ad tuendam religiosam juventutis educationem praebent, in quantum assequendo fini revera proficia sunt.

Innovantes igitur omnia et singula, quae in literis Nostris pastoralibus de die 26. Julii 1869 Clero Nostro commendavimus, et in ordinationibus Consistorii Nostri hucusque circa scholas religiosamque juventutis educationem et institutionem mandavimus, statuimus insuper:

1. Omnes, quibus scholarum cura et institutionis religiosae juventutis officium incumbit, probe et sollicite studeant officiis hisce ad amussim satisfacere, et religionem in omnibus scholis singulisque classibus per tot horas, eo ordine et modo, eaque ratione docere, sicut ordinationes a Nobis hac in materia editae praescribunt. Maximo detimento esset Ecclesiae, si Clerus in officio tanti momenti negligenter ageret et saecularibus scholarum inspectoribus ansam praeberet, ea de causa gravamina proferendi. Caveat Clerus, ne illo neglecta schola feriatur judicio: „Perditio tua ex te, Israel“. Verum quidem est, numerum scholarum in dies augeri, et nova Clero non onera tantum, sed proh dolor impedimenta accrescere; sed permagnum et insigne opus est institutio et educatio juventutis, permagna igitur et insigni etiam in arduis tractandum est sedulitate. Caveat sacerdos, ne opus hoc excelsum negligat vel laicis, nisi necessitas urgeat, relinquat: secus ipse censeretur relegationis suae e scholis auctor et iniquorum adversus Ecclesiam conaminum promotor.

Quoad libros scholasticos, in catechetica institutione adhibendos plurima desiderari, alioquin notum est. Ea de causa viros idoneos specialiter deputabimus, qui novae editioni librorum scholasticorum pro institutione catechetica operam natauti collatis consiliis providebunt, ut singuli pro singulis scholis libri praescripti invicem optime concordent. Interim quoad institutionem catecheticam in scholis popularibus observentur ea, quae ordinatione Consistorii Nostri de die 4. Octobris 1872 (in folio Ordinariatus Nr. 16. anni 1872) praescribuntur.

2. Quodsi propter multitudinem scholarum filialium et nimiam in ceteris curae animarum officiis occupationem animarum pastoribus aliquibus in locis prorsus impossibile foret, ut

per totum annum horis praescriptis religionem in omnibus scholis ipsimet doceant, permittimus quidem, ut servata lege saeculari ludimagister laicus ad docendam religionem substituatur, sed eligatur ad hoc opus vir fidelis, religiosus et probus, de quo persuasum est parocho, quod officio suo rite sit satisfactus. Licitum vero non sit parocho, propria autoritate laicum hunc ad instituendam juventutem in religione substituere, sed expositis omnibus circumstantiis virum istum Officio Nostro probandum proponat. Etiamsi vero hisce in casibus per laicos ludimagistros religio doceatur, animarum pastor nihilominus scholam hanc saepius pro opportunitate adeat, ludimagistrum in tradenda religione adjuvet, juventutem examinet et ipse pro viribus edoceat.

3. Ad educationem juventutis religiosam spectant etiam exercitia religiosa, uti communis oratio, cantus religiosi, visitatio ecclesiae, frequentatio sacrosancti missae Sacrificii, devotus Sacramentorum usus, processiones aliaeque devotiones ecclesiasticae. Observet Clerus diligentissime quae in hac parte praescripta sunt, et memor sit, ludimagistros legibus etiam saecularibus obligari, Clerum in religiose educanda juventute adjuvare, cum educatio et institutio religiosa juventutis inter primarios scholae fines numeretur et ludimagistris officium incumbat, discipulis invigilandi exercitiis religiosis vacantibus. In specie sequentia observentur:

- a) Oratio communis non tantum ante et post institutionem quotidiana, sed etiam ubi moris est, ad pulsus campanae ad orationem excitantis, e. g. Feria VI. hora 3. ab omnibus scholaribus persolvatur.
- b) In locis omnibus, ubi sine magna difficultate fieri poterit, omnes scholares ad audiendum quotidie missae Sacrificium in ecclesiam ducantur, exceptis infirma valetudine laborantibus. Ne vero ordo in scholis praescriptus turbetur, ad Sacrum hoc peragendum hora conveniens eligatur.
- c) Ad s. Confessionem et ss. Communionem discipuli saltem ter per annum accedant, et quidem initio anni scholastici,

tempore paschali, et anno scholastico ad finem vergente; ad rite suspicienda haec Sacraenta sacerdotes ipsi juventutem debita cum diligentia praeparent.

d) Processionibus ecclesiasticis, scilicet in festo s. Marci, tribus diebus Rogationum, in festo Ss. Corporis Christi, aliisque vel consuetudine introductis, vel ordinatione Nostra praescriptis juventus scholastica intersit, quod nonnisi ex causis gravissimi momenti omittatur.

4. Scholas vel optimis caeteroquin legibus suffultas tunc tantum vere florere, si cura sacerdotum destitutae non sint, compertum est. Nostris diebus non obstantibus legibus saecularibus recentissime editis frequentationem scholarum ex parte juventutis plurimis in locis dolendum in modum negligi omnes novimus, cui malo nonnisi sedula cura pastorum animarum mederi posse, non difficile esset demonstrare. Monemus igitur omnes animarum pastores, ut, quum juventuti ad fidem et pietatem instituendae potissimum nonnisi in scholis prodesse queant, omni quo possibile erit modo scholarum frequentationem promovere studeant; hortentur diligenter parentes et tutores, ut pueros et puellas sibi commissas sollertissime scholas adire faciant, sedulo inculcantes iis omnia, quae in literis Nostris pastoralibus die festo Ss. Angelorum Custodum 1869 ad parentes et tutores datis diximus. In specie de hocce parentum et tutorum officio data occasione saepius per annum in sacra concione loquantur.

5. Ast non tantum ad frequentationem scholarum, sed ad omnia alia, scholas concernentia, praecipue ad ludimagistros, praepositos et inspectores saeculares quocunque titulo insignitos attentionem suam dirigere non omittant, ut optime edocti de statu scholarum parochiae sua singula mala, quae animadverterint, probe adnotare et per Vicarios Nobis referre possint. Praecipuis etenim officiis Nostris accensemus diligentissimam de scholis totius dioeceseos curam, ut sciamus, quibus malis laborent, et quibus remediis indigeant, et ut modo competenti

auctoritate Nostra, quae necessaria et opportuna videbuntur, procuremus.

6. Vicarios vero foraneos urgemus et obsecramus, ut non tantum in visitatione canonica quotannis peragenda, sed saepe saepius scholis diligentissime invigilent, pro viribus adlaboraturi, ut per totum districtum sibi creditum omnia, quae modo Clero observanda injunximus, ad amussim serventur. Si aliquam hac in parte animarum pastorum negligentiam deprehenderint, statim Nos certiores de hac re faciant, omnia porro et singula, quae ipsis de statu scholarum innotuerint, Nobis fideliter referant.

Scientes autem, Vicarios foraneos, cum et ipsi animarum cura in propria parochia occupentur, in tanta negotiorum mole non sufficere, ut praefatis officiis propria contentione satisfaciant, invitamus eos, ut in proxima pastorali collatione cum Clero districtus sui conferant, quo meliori modo in portando onere ipsis incumbente juvari possent et sublevari, et quae bona et utilia videbuntur, Nobis proponant.

## CAPUT II.

### De catechesibus pomeridianis.

Ad christianam populi eruditionem valde conferunt catecheses, quae diebus dominicis et festivis tempore pomeridiano in ecclesiis et per pagos fieri solent. His non solum succrescentis juventutis cognitiones religiosae perficiuntur, sed pastori animarum peropportuna praebetur occasio, etiam adultos instruendi, admonendi, quaestiones hoc ipso tempore maxime versatas, in quantum religionem attingunt, cum eis discutiendi ac ipsis commonstrandи, quanto paternae charitatis affectu collaetari cum grege suo in prosperis, eique in adversis compati didicerit. Hac de causa Concilium Tridentinum Episcopos omnes obligavit, ut „saltem dominicis et aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta et obedien-

tiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curent et si opus sit, etiam per censorias ecclesiasticas compellant<sup>1)</sup>. Huic decreto innixi Antistites Ecclesiae sive in conciliis provincialibus et synodis dioecesanis, sive extra illas has catecheses semper strictissime exigebant, et novissime in Concilio Nostro Provinciali Clerum dilectum in cura animarum laborantem de hac re gravis momenti sollicite monebant.<sup>2)</sup> Mandatis hisce animarum curatio zelo inflammati lubenti animo obtemperabant, catecheses has ceu valde efficax momentum pastoralis sollicitudinis considerantes, eas maximo cum studio ac diligentia peragebant. Talis fervor ut corda omnium sacerdotum praecipue nostris diebus, cum religiosa institutio ac educatio in scholis multa patiatur detrimenta, penetret, necesse est. Proinde praefata decreta innovantes omnes archidioecesis nostrae animarum pastores in Domino obtestamur, ut has catecheses summa cum industria agant, et eis quantum possunt temporis ac laboris impendant. Non facile dies dominicas praeterlabi sinant, quin aliquam saltem partem gregis sui visitent, eam instructuri et salutaribus verbis in viam salutis directuri. Materiam catechismi rite sibi disponant, ut eam paucorum annorum decursu integrum absolvant. Ad quamlibet catechesin rite praeparati accedentes eam claro ac suavi modo pertractent. Non pigeat eos laboris huic officio impensi, quem Deus certo uberrimis fructibus coronabit. Magno profecto opprimeremur dolore videntes parvulos petientes panem et pastores pet totum annum vel longiores ejus partes deesse, ut frangerent eis.

Ast quamvis frequens catechesium harum celebratio nobis maxime cordi sit, tamen Nos non latet, recentissimo tempore tales enatas esse difficultates, quae eam valde onerosam, imo impossibilem reddunt.

Occurrit jam lex saecularis recentiori tempore lata, quae obligationem juventutis ad frequentandam scholam usque ad

<sup>1)</sup> Sess. XXIV. c. IV. de ref.

<sup>2)</sup> Conc. Prov. Prag. Tit. II. Cap. VI.

completum 14 aetatis annum extendit. Quid mirum, si adolescens juventus institutionem religiosam in schola excipiens continuationem ejus in ecclesia fugit et eam superfluam declarat? Accedit, quod in pluribus locis sensus religionis et reverentia erga sacerdotes ita refriguerit, ut nec catechistam ad se curru advehi current, qua obtrectatione ipsi accessus ad remotiora parochiae loca multum aggravatur, hieme vero et infausta tempestate plane praepeditur. Insuper exoriri videamus fere innumerabilia sodalitia, quorum membra, cum diebus ferialibus vix possint, diebus dominicis de regula conveniunt, adeoque fit, ut, maribus ad coetum abeuntibus et feminis rem domesticam custodientibus, aedes ubi catechesis indicta est, vacua relinquatur. Denique numerus scholarum in dies crescit, catechistarum vero valde minuitur, et instructio pomeridiana a populo potissimum eo anni ecclesiastici tempore frequentatur, quo instructio scholaris, concionum copia, poenitentium multitudo et alia curae pastoralis negotia vires pastoris fere exhauriunt. His non obstantibus res tanti momenti tanto maiorem curam sibi vindicat, ideoque hortamur omnes animarum pastores, ut impedimenta occurrentia summa prudentia et sollicitudine superare satagant, et catecheses pomeridianas optimo quo poterint modo peragere non desistant.

Ut vero uberior hujus laboris fructus accrescat, mandamus: ut in proximis pastoralibus Cleri collationibus de hac materia agatur, et Nobis per Vicarios foraneos vota et desideria Cleri cujuscunque districtus hanc materiam concernentia proponantur. Quae tum in singulis locis observanda erunt, mox communicabimus.

Ubi vero nullatenus catecheses pomeridianae accurate peragi poterunt, curabunt parochi hujusmodi instructionis religiosae modum aliis opportunis mediis supplere, quorum nonnulla in sequentibus adumbrare necessarium ducimus.

1. Praeter assiduam scholarum parochialium et filialium curam omni sollertia prospicient etiam juventuti in fabricis occu-

patae, prout jam in prima Synodo Dioecesana<sup>1)</sup> hortabamur. Ubi scholae in fabricis inveniuntur, convenient cum possessoribus vel directoribus fabricarum de hora, qua ibidem explanandae s. religioni vacare possint. Ubi vero in fabricis scholae nondum erectae sunt, omnibus viribus adlaborent ut erigantur, vel eis saltem permittatur statutis temporibus fabricas adire et juventutem ibi occupatam ad excipienda fidei morumque praecepta congregare. Persuadeant heris directoribusque fabricarum, religiosam operariorum instructionem unicum esse medium, quo non tantum eorum verae prosperitati, sed etiam suae propriae paci consulere possint.

2. Alterum occupat locum assidua observatio, qui pueri et puellae scholam non frequentant, fors gravibus ex causis frequentare non possunt. Hos, in quantum ad scholam adigi nequeunt, pastor animarum certis horis instruat vel si plures sunt, aliquo in loco congregatos. Ubi vires ejus non sufficient, alliciat ad hoc opus etiam laicos. In qualibet parochia invenientur certo utriusque sexus fideles pii et sacrorum sufficienti notitia imbuti, qui necessaria dexteritate gaudent, alias instruendi. Horum piae curae commendent tales infantes, juventutem succrescentem, imo et adultos ss. veritatum ignaros. In amplioribus parochiis non abs re erit, tales fideles in confraternitatem doctrinae christianaee jungere et sic fervorem eorum magis excitare, obfirmare et coelesti benedictione adornare. Confraternitates hujusmodi jam a Synodo Pragensi anni 1605 tantopere laudatae et a P. P. Pio V. largis indulgentiis locupletatae Ecclesiae tristissimis temporibus tantum utilitatis attulerunt, ut s. Carolus Boromaeus eas nulla in parochia deesse debere affirmaverit. Haud minus commendari meretur neoerecta Parisiis sodalitas matrum christianarum, quae praeter bonum exemplum ac religiosam educationem communibus precibus ac Missae Sacrificio pro liberis offerendo saluti eorum prospicere satagit. Innititur associatio haec effato s. Pauli Apostoli di-

---

<sup>1)</sup> Syn. Dioec. anni 1863. Cap. XII.

centis: „Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus“<sup>1)</sup>), et quid valeant assidue matris preces et sacrificia, videmus in s. Augustini mirabili conversione. Confugiant ergo etiam matres nostrae ad hoc coeleste adminiculum sperantes fore ut, quod plantant et rigant, Deus incremento coelesti fructificet.

3. Ulterius juvabit adolescentes praesertim in majoribus parochiis adducere, ut nomen dent societati juvenum opificum, in quorum conventibus multae instructiones habentur; adolescentulae vero alicui sodalitati ipsis convenienti e. g. ss. Cordis Jesu, cuius membra saepe ad communes devotiones congregantur. His in conventibus sacerdos exoptatam nanciscetur occasionem, deficientem in singulis membris scientiam religionis aptissime perficiendi. Ubi tales associationes desunt, studeant animarum pastores, quantum poterint, eas erigere.

4. Proderit insuper, observare quae Concilium provinciale<sup>2)</sup> monuit, scilicet sacro Quadragesimae tempore parochianos pro diversitate status et sexus ad excipiendas peculiares instructiones convocare, quibus potissimum de singulis status sui officiis opportune doceri et ad peragendam Confessionem dignamque Communionem paschalem optime praeparari possint. Ad has instructiones, praesertim si pro præparatione ad s. Confessionem et Communionem annuntiantur, fideles teste experientia libenter confluunt, et sacerdos singulis coetibus officia status exponens et quid ad rite suscipienda Sacraenta requiratur delineans, facile adjunget etiam scitu necessaria, quae forsan nonnulli praesentium ignorant. Sacra Confessio ipsa perficere poterit, quod instructio haec imperfectum reliquit; et sic fiet susceptio Sacramentorum fidelibus non tantum medium sanctificationis, sed etiam ansa solidae religiosae eruditionis.

5. Felicem fructum sperare licet etiam a vespertinis publicae devotionis exercitiis. Ad haec instituenda et per octo,

<sup>1)</sup> I. ad Cor. 3, 7.

<sup>2)</sup> Tit. II. Cap. V.

novem dies vel ulterius protrahenda plura anni ecclesiastici festa et tempora invitant, uti festum ss. Nominis Jesu, ss. Corporis Christi, sanctissimi Cordis Jesu, festivitates Beatae Mariae Virginis, Festa s. Josephi, sanctorum Patronorum Regni, Dominica Quinquagesimae cum duobus diebus sequentibus, mensis Majus venerationi B. M. V. impendendus et alia. Pluribus in locis tales devotiones jam vigent et populus eas sibi valde adamavit. Cumque revera ad excitandam ac fovendam pietatem magnopere conducant, ubi hucusque desunt, introducantur. Precibus in eis usitatis poterunt sacerdotes pro opportunitate et praesentium necessitate breves ac suaves instructivas meditationes addere et sic haec pietatis exercitia etiam in institutionem religiosam convertere.

### CAPUT III.

#### **De Bibliothecis parochialibus pro populo instituendis.**

Considerantes mala fere innumera, quae ex propagatione ephemeridum et librorum pravorum nullo non tempore, sed praecipue hisce diebus exoriuntur, provocant et invitabant Antistites in Concilio provinciali congregati (Tit. II. Cap. IV.) eos viros, sive clericos sive laicos, qui necessariis dotibus pollent, ut quocumque potuerint modo, sive scribendo, sive adjuvando scriptores, in propugnationem fidei et morum honestatis vires impendant, scientes, optimum et dignissimum opus esse invictae veritatis praecconium. Quoniam autem praefata christiani fervoris conamina optimum conjuncta plurium operatione Deo largiente effectum sortiuntur: propterea pie optabant et instantes commendabant, ut peculiares hunc in finem sodalitates per singulas provinciae nostrae dioeceses erigantur. Pronuntiabant etiam aevi currentis indigentiam, ut studia tum fidelium, tum sacerdotum conferantur ad bibliothecas in variis parochiis, maxime oppidorum, erigendas et libros inde mutuandos, ut fideles absque periculo salutis lectionem vere utilem

tum de sacris, tum de profanis rebus, et ad relaxandos quoque animos vel gratis, vel pere exiguo pretio sumere possint.

Scimus et gaudentes laudantesque palam profitemur, non nullos sacerdotes cum fervore operam dedisse huic officio maximi momenti, et sodalitates hunc in finem erectas eximiam opem tulisse.

Ast delapsis a concilio provinciali celebrato annis contigit ubique, etiam in regionibus nostris, ut non solum permulti viri singuli, sed etiam societas diversae et bibliopolae numerosi conentur ferventissime, tum copiosas bibliothecas in oppidis et pagis erigere, tum libros et parvos tractatus tenoris suspecti et perniciosi pretio exiguo vendere, quibus maximum infertur detrimentum fidei et moribus lectorum.

Ad minuendum atque depellendum periculum sanctae Ecclesiae catholicae et populo inde proveniens necessarium omnino conspicitur, ut viribus unitis vires unitae opponantur, et quodcumque in hac re hucusque per singulos dispersos sacerdotes factum est et adhuc fit, nunc denique systematice et universaliter studiosissime efficiatur.

Quapropter sincere optamus et instanter commendamus:

1. Ut in quacunque parochia animarum pastores omnem dent operam erigendae, vel ubi jam erecta fuerit, conservandae et ampliandae bibliothecae parochiali ad mutuandos libros tenoris salutaris parochianis et teneris et adultis. Proba et vera diligentia curaque animarum Deo juvante omnibus et quibuscumque indicabit atque aperiet fontes, unde facultates necessariae profluent.

2. Conficiatur dein index seu catalogus librorum bibliothecae parochialis pro populo, aliisque libris inventarium parochiae concernentibus, apponatur, quem omni anno vicarius visitans inspiciet, subscribet, et de eo Nostro officio relationem dabit.

3. Libros hos certa fixaque hora diei et hebdomadis lecturis parochianis curatus commodet et commodatos inscribat, quo modo iis ex officio suo valde proderit, eorumque gratum

animum et amorem erga se excitabit et confirmabit; quae res gravissimi est momenti his temporibus, quibus mundus sacerdotem a populo separare vult.

4. Bibliothecae parochiales pro populo tum erigi, tum amplificari possunt:

- a) Emendo libros bonos, praecipue tales, quos Commissio ab Archiepiscopo authorisata per ephemerides catholicas commendaverit, vel paucos vel plures quotannis, prout quis poterit, sumtu proprio.
- b) Donatione librorum bonorum per benefactores singulos in parochia et extraneos, per scriptores et editores benevolos, per sodalitates hunc in finem jam existentes, aut in posterum erigendas, quae et ipsae parochiis egenis libros procurabunt aut gratis, aut pretio exiguo.
- c) Subsidio pecuniario, quod nonnumquam petente sacerdote fideles praestabunt et viventes, et moribundi.
- d) Libris percipiendis omni anno, quos edunt sodalitates membris suis, vel sacerdoti vel bibliothecae, uti sunt: Haereditates Sti Joannis Nep. et Sti Procopii Pragae, Sti Cyrilli et Methodii Brunae, societas catholica Pragensis et Brunensis ad edendos libellos et tractatus parvos, Reginae-Hradecensis sodalitas seu Haereditas parvulorum etc.
- e) Quisque sacerdos proprios ad rem pertinentes libros possidet, et omni tempore adauget. Memor sit quicunque, libros istos pretiosos morte possessoris incidente saepissime minutatim dissipari et perdi, ideoque bonum opus laudabiliter inceptum vanum redi. Donatis autem libris istis bibliothecae parochiali sacerdos in alium locum vel e vita abiens cum merito saluberrime pergit agere in parochia, cuius pastor fidelis fuerat.

Perpendentes strenuitatem et efficacitatem permultorum extra castrum catholicum novissimo tempore bibliothecas pro populo creantium — videamus nos omnes, ne quid detrimenti

nobis culpam committentibus patiatur Ecclesia sancta, et ne de nobis dictum sit verbum Domini: „Filii hujus saeculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua.“ (Luc. 16, 8.)

## CAPUT IV.

### De casibus reservatis.

(Conc. Prov. Prag. Tit. IV. Cap. VII.—VIII. — Synod. dioec. anni 1863. Cap. XVII.)

Officium pastoralis Nostrae sollicitudinis postulat, ut Sanctissimi Domini Pii P. P. IX. Decretum de die 27. Junii 1866, nec non Constitutionem „Apostolicae Sedis moderationi“ de die 12. Octobris 1869 in hac Synodo promulgemus, cui promulgationi sequentia addimus:

1. Quum Summi Pontificis decreto de die 27. Junii 1866 sancitum sit, ut in facultatibus, quibus Episcopi ex concessione Apostolica pollent, absolvendi ab omnibus casibus Sanctae Sedi reservatis, excipiantur semper in posterum casus reservati in Bulla Benedicti XIV. „Sacramentum Poenitentiae“ de die 3. Junii 1741, scilicet „Absolutio Complicis peccati externi contra sextum decalogi praeceptum commissi“ atque „Falsa accusatio Confessarii de crimine sollicitationis ad turpia“: hae duae reservationes Pontificiae ad casus jurisdictioni Episcopali reservatos amplius referri nequeunt. Ut itaque nullum omnino suboriatur dubium, Statutum synodale nostrum anni 1863: „De Casibus Absolutioni Episcopali reservatis“ (Cap. XVII.) in hac parte abrogantes, amodo sequentes casus Nostrae jurisdictioni ordinariae vel delegatae reservamus et reservatos declaramus:

- a) Apostasiam a fide catholica et haeresim Acatholicorum.
- b) Pejerationem in foro, id est mendacium jurejurando confirmatum coram judice sive ecclesiastico sive civili vel ejus delegato.
- c) Sacrilegium reale sensu strictiori, in quantum est violenta aut furtiva ablatio paramentorum aut vasorum vel qua-

rumcumque rerum, quae sive consecratione sive benedictione ad usum ecclesiarum dedicatae sunt.

- d) Homicidium voluntarium sive facto sive mandato, consensu vel consilio commissum.
- e) Procurationem abortus, id est voluntariam destructionem hominis concepti ante partum, et cooperationem eorum, qui ad tale facinus opem aut consilium dederunt.
- f) Incendium malitiose excitatum.

Provocantes ad reliquum tenorem praefati Statuti synodalnis innovamus facultatem, ut omnes Confessarii in hac Archidiocesi rite deputati *toto tempore paschali* et insuper in singulis ecclesiis, ubi festum *Tituli* aut *Patrocinii* agitur, *a primis hujus festi Vesperis per totam Octavam usque ad secundas Octavae Vespertas*, — Confessarii autem in Deiparae ecclesiis *Vetero-Boleslaviae, in Monte Sacro, Culmae atque Albendorfii* in Comitatu Glacensi tum ordinarie constituti, tum in adiutorium adsciti *quolibet per annum tempore ab enumeratis sex casibus Nobis reservatis absolvere valeant.*

2. Ad cognoscendas facilius peccatorum reservationes et censuras Pontificias, easque in administratione Sacramenti poenitentiae rite dijudicandas praedicta Summi Pontificis Constitutio „Apostolicae Sedis moderationi“ de die 12. Octobris 1869 plurimum confert variisque Confessorum dubiis occurrit. Quum enim hujusmodi censurae per modum latae sententiae ipsoque facto incurrendae per singulos Pontifices indictae ac promulgatae successu temporis nimis acreverint, quaedam etiam temporibus moribusque mutatis minus opportunae viderentur: Sanctissimus Pater et Dominus noster novam ac plenam earumdem recensionem fieri, easque minorem ad numerum reduci et hacce sua Apostolica Constitutione promulgari curavit.

Monemus proinde omnes et singulos Confessarios, ut praefatae Constitutionis tenorem et ambitum sedulo studio addiscant, quumque recensitae in ea censurae Pontificiae non tantum ex antiquorum Canonum, sed omnino etiam ex hujus

ipsius Apostolicae Constitutionis auctoritate novum vigorem et legis vigentis vim acceperint, eas omnes in administratione Sacramenti poenitentiae attenta mente respiciant; quatenus opportuna pro peccatorum gravitate remedia poenitentibus applicare, ipsosque a criminibus hujusmodi perpetrandis deterrere sciant, sed vel ideo quoque, quia ab istis reservacionibus Pontificiis nonnisi facultate subdelegata absolvere possunt.

Dum itaque editam in Synodo dioecesana anni 1863 Cap. XVII. Instructionem de casuum reservatione pro Confessariis denuo confirmamus: facultatem, peccatores ab omnibus casibus Pontificiis absolvendi, singulis Confessariis tenore ejusdem Instructionis §. 1. datam eatenus limitamus, ut supra nominati duo casus in Bulla Benedicti XIV. „Sacramentum poenitentiae“ peculiariter reservati, et vigore Apostolici Decreti de die 27. Junii 1866 semper in posterum excipiendi videlicet 1. *Absolutio Complicis peccati externi contra sextum decalogi praeceptum*, 2. *Falsa accusatio Confessarii de crimine sollicitationis ad turpia omnino excipientur*. Quapropter Confessarii, si talem casum in sacro tribunali detexerint, preces suas ad Nos vel Generalem Vicarium Nostrum dirigant, ut de speciali absolvendi facultate ipsis tribuenda provideamus.

## CAPUT V.

### De Matrimonio.

Tempore, quo Concilium provinciale et Synodus dioecesanam celebrabamus, leges civiles austriacae quoad causas matrimoniales saltem in essentialibus cum legibus ecclesiasticis concordabant, ita, ut nemini catholico in imperio Austriaco licuerit matrimonium inire, quin praescriptiones canonicae ad amussim observarentur, conjugibusque potestas ab invicem discedendi tantummodo auctoritate ecclesiastica intercedente concederetur, sive a thoro et mensa solummodo separari voluerint, sive dissolutionem vinculi matrimonialis anhela-

verint. Ast proh dolor recentiori tempore leges emanatae sunt, ecclesiasticis legibus e diametro oppositae, quibus sanctitas foederis conjugalis plurimo ex titulo violatur. Restituebantur primo leges matrimoniales codicis austriaci, quae plurima ecclesiastica impedimenta ignorant et ignorari praescribunt, quae conjuges neglecta auctoritate ecclesiastica etiam sine ulla causa pro arbitrio a thoro et mensa separari permittunt, imo et vinculum matrimoniale a solo judice saeculari dissolvi jubent. Accesserunt leges magis adhuc perniciosae, quae cathollicis sponsis, spretis canonicis solummodo impedimentis, permittunt coram magistratu civili contrahere matrimonium, propter defectum formae Tridentinae pro foro ecclesiastico invalidum, et ut eo frequentius matrimonia coram magistratu civili contrahantur, etiam in impedimentis cognationis affinitatisque, quae et codex austriacus tenet, dispensationes ab auctoritate politica sine ulla causa conceduntur; juxta legem civilem sponsus catholicus cum acatholico sine ulla interventione parochi catholici matrimonium coram ministro acatholico contrahere potest, quod ecclesia catholica abhorre debet; imo licet christianis cum Judaeis matrimonia inire, dummodo coram magistratu civili profiteantur, se confessioni suaे religiosae valedicere.

Dum leges codicis austriaci prioribus decenniis hujus saeculi vigebant, saltem praxis benignior eas temperabat, modo vero omnes leges sanctionibus canonicis adversae ita stricte in favorem hominum ecclesiam illudere volentium executioni dari solent, ut exinde perpetuum inter potestatem civilem et ecclesiasticam certamen perturbatioque maxima exoriatur, et salus aeterna plurimorum hominum in dispendium vocetur.

In hoc tristissimo statu rerum Antistites et Sacerdotes sanctitatem et characterem christianum conjugalis foederis religiosissime defendantes leges ecclesiasticas ad amussim observare, et curare, ut ab omnibus observentur, in officiis habent, etiamsi in pluribus leges civiles repugnant; nihilominus sollicitudinis illorum sit, prospicere, ne in hoc conflictu justo plures animae immortales in aeternum pereant, ideoque respectu habito

ad infirmitatem humanam omni quo possibile fuerit remedio malis ex hac legum diversitate exorientibus succurrere conentur.

Hocce utroque principio innixi sequentia a Clero Nobis dilecto observari mandamus:

1. Etiamsi leges civiles modernae Instructionem pro iudiciis ecclesiasticis Imperii Austriaci in causis matrimonialibus caesareo regio edicto de die 8. Octobris 1856 promulgatam et legibus imperialibus insertam quoad valorem civilem aboleverint, nihilominus Instructionem hanc tanquam legem ecclesiasticam quoad matrimonalia per totam archidioecesin et ulterius observandam promulgamus, prout eam Concilium provinciale Tit. IV. Cap. XIII. probavit et praescripsit.

2. Similiter et omnia et singula, quae in instructione Nostra die 3. Junii 1868 relate ad leges imperiales de die 25. Maji 1868 latae edita, nec non in ordinatione de die 15. Januarii 1869 (fol. Ordin. N. 2 anni 1869) quoad matrimonia inter catholicum et acatholicum ineunda mandavimus, ad amussim et in posterum ab omnibus executioni dentur.

3. Ne vero fideles vanis hominum perversorum conaminibus a recto tramite abducantur, animarum pastores omnes et singulas doctrinas et leges ecclesiasticas quoad sanctitatem et sacramentalem characterem foederis conjugalis, et modum tum contrahendi matrimonii, tum solvendi consortii vitae conjugalis concernentes omni data occasione, praecipue vero in concionibus sacris exponant provocantes ad literas Nostras pastorales hac in materia die 24. Junii 1868 Clero et populo transmissas.

4. Magna difficultas plurimis in casibus ex eo provenire solet, quod contracturis matrimonium obstet impedimentum legis ecclesiasticae, de quo in legibus civilibus nulla prorsus mentio fit, vel cuius dispensationem a gubernio saeculari oratores obtinuerunt. Provocantes ad leges civiles sponsi saepe modo impetuoso a parocho exigere volunt, ut contrahendo ab ipsis matrimonio, neglecto impedimento canonico assistat, et si hoc facere renuerit, ad magistratum civilem pro contra-

hendo matrimonio confugiunt. Quodsi impedimentum canonum obstans minoris fuerit momenti, parochi ad Consistorium Nostrum petitionem a sponsis subscriptam transmittant, quo facto statim de dispensatione canonica providebitur. Si vero gravius obstet impedimentum canonicum, a quo Apostolica Sedes dispensare tantum solet, magna cum cautela procedendum est, ne ex una parte ecclesiastica enervetur disciplina, ex alia parte vero majora mala et scandala ob contractum coram magistratu civili matrimonium proveniant. Ad prae-cavendas similes difficultates parochus, quamprimum ad notitiam ejus pervenerit, parochianum intendere matrimonium, quamvis obstet impedimentum canonicum gravioris momenti, contrahere, illum admonere studeat, ut a proposito tali abstineat et obedientiam sanctae matri ecclesiae catholicae debitam praestet. Si vero nihilominus parochianus in proposito perseveraverit, et graves rationes adsint, hortetur ulterius, ut, antequam de dispensatione a gubernio civili obtinenda cogitet, dispensationem ecclesiasticam modo consueto et per leges canonicas praescripto humiliter quaerat. Omnibus quae praesto sunt mediis studeat parochus impedire, ne ante obtentam dispensationem ecclesiasticam dispensatio politica quaeratur. Si autem non obstantibus monitis et conainibus parochi periculum ineundi matrimonii coram magistratu civili imminuerit, parochus sine ulla tergiversatione de casu hoc expositis fideliter et probe omnibus circumstantiis Nobis relationem mittat, quo facto, quae opportuna fuerint, providebimus.

5. Eadem prudentia pastorali, eodemque zelo sacerdotali procedendum erit, quotiescumque parocho innotuerit, catholicum parochianum cum acatholico matrimonio jungi desiderare. Ad mala fere innumera, quae alioquin ex matrimoniis mixtis procedere solent, accedit et hoc e recentioribus legibus civilibus exortum, quod asseclae mixtae confessionis, neglecto omnino parocho catholico et spreta lege ecclesiastica coram ministro acatholico matrimonium, etsi pro foro ecclesiastico invalidum, civiliter vero validum inire queant. Hinc jam principiis ob-

stare conetur parochus, catholicumque monere, ne contra leges ecclesiasticas cum periculo salutis aeternae matrimonium cum acatholico contrahat, vel saltem, si aliter fieri non poterit, observatis quae lex ecclesiastica in hac causa praescribit, et praestitis cautionibus dispensationem ecclesiasticam quaerat. Si conamina parochi in hac parte effectu caruerint, studeat ut sponsi coram ipso vel passive assistente matrimonium contrahant et licentiam ad hancce passivam assistantiam a Nobis exquirat. Si vero sponsi etiam passivam assistantiam parochi catholici spernentes coram ministro acatholico contrahere intenderint, nullo modo ad hoc cooperetur parochus catholicus, neque matrimonium tale denuntiet, neque, si per fraudem sponsorum denuntiationes factae jam fuerint, testimonium de peractis denuntiationibus exhibeat.

6. Cum plurimi intersit, ut probam de omnibus matrimoniis, quae contra legem ecclesiasticam vel contrahenda sunt vel jam contracta fuerunt, notitiam habeamus, parochi omnes statim ac ipsis innotuerit, matrimonium aliquod coram magistratu civili, vel coram ministro acatholico, vel alias contra leges ecclesiasticas, vel inter personas absque ulla confessione declaratas contrahendum imminere, vel jam revera contractum fuisse, expositis omnibus adjunctis et circumstantiis, adjectisque actis et scriptis, forsitan hac in causa jam occurrentibus, Nos vel Consistorium Nostrum certiores reddant, ut vel sine mora providere, vel in posterum, quae ad rem forent, procurare possimus.

7. Ad partes solliciti pastoris pertinet, non tantum peccata praecavere, sed etiam, cum peccatum nihilominus commissum fuerit, peccatorem quaerere et iterum ad salutis tramitem reducere. Cura hac boni pastoris indigent praecipue personae in parochia commorantes, quae contra leges ecclesiasticas matrimonium in foro ecclesiae invalidum vel coram magistratu civili vel coram acatholico ministro jam inierunt, et modo in matrimonio, quod potius concubinatus exitiosus vocari meretur, perseverant, praecipue si ob matrimonium hocce fa-

cilius ineundum a fide catholica vel a religione christiana defecerunt. Curet parochus omni studio et sollicitudine, tales conjuges vel saltem partem unam ad poenitentiam revocare et ad satisfaciendum Ecclesiae mandatis inducere. Etiamsi impedimenta gravioris momenti, sed dispensatione ecclesiastica amovibilia, obstent, quominus matrimonium in facie ecclesiae convalidetur, moveat illos, ut dispensationem hanc humiliter quaerant, et si saltem animum primum ad poenitentiam et ad satisfaciendum Ecclesiae habuerint, ipse pro eis ad Nos pro dispensatione, imo et pro sanatione in radice matrimonii confugiat. Cum enim matrimonium jam contractum et proles exinde enata canonica causa sit ad dispensationem obtainendam, aut facultate Nobis delegata dispensabimus, aut ad Apostolicam Sedem recurremus.

8. Experientia tristis docet, conjuges valido matrimonio junctos pro obtainenda separatione a thoro et mensa tantummodo ad tribunalia saecularia convolare et obtenta licentia a tribunali saeculari legem ecclesiasticam nullatenus respi- cientes absque communione conjugali separatim ab invicem vivere. Cum conjuges catholici propter sacramentalem con- jugii characterem et officia ethica inde emanantia ad individuum vitae consortium teneantur, et separationem a thoro et mensa relate ad haec officia tantum ex gravi causa ab ecclesiastica auctoritate obtainere possint: patet, conjuges inter- veniente tantum saeculari auctoritate separatos in gravi peccato vivere, et si in peccato hoc publice et pertinaciter perseveraverint, etiam ut publicos peccatores habendos esse. E contra vero non obliviscimur, saepesaepius conjuges separari cupientes nimis arduum negotium habere, si vel ad tribunal ecclesiasticum tantum pro obtainenda separatione convolarent, cum judex civilis hoc in casu jura civilia illis denegaret; vel si apud utrumque tribunal ecclesiasticum et civile causam suam, diuturno et oneroso processu gravati agere deberent. Observet nihilominus parochus, quae hac in materia instructio Nostra de die 3. Junii 1868 statuit; frustra peractis reconciliationis

tentaminibus graviter conscientiam conjugum oneret, ut etiam et quidem praeprimis ad Judicium ecclesiasticum convertantur. Si vero propter difficultates varias id facere recusaverint, item si parochus alios deprehenderit catholicos in sua parochia commorantes, per auctoritatem tantum saecularem separatos, omnes gravi exhortatione inducat, ut expositis omnibus causis et probationum mediis modo summario per subscriptionem protocolli a parocho conscribendi et ad Nos transmittendi separationem a Tribunali ecclesiastico petant, quo facto, quae relate ad obstantes difficultates et circumstantias in Domino utilia forent, providebuntur.

9. Quotiescunque vero in parochia invenirentur catholici, quorum matrimonium in forma Tridentina contractum solummodo ab auctoritate civili quoad vinculum dissolutum, vel annulatum fuit, ex officio parochus omnia, quae ad rem spectant, exquirat, et Nobis exponat, dein ipsi vel Vicario foraneo qua Commissario nostro oportunas praebebimus instructiones.

## CAPUT VI.

### De libris parochialibus.

Ut libri parochiales, videlicet libri baptizatorum, conjugatorum et defunctorum, liber Confirmatorum et liber animarum statum referens, in parochiis habeantur utque parochi diligenter omnia huc spectantia juxta formulas praescriptas in libros istos inscribant, jam Rituale Romanum statuit; hinc et libri hi, ubicunque Rituale Romanum introductum fuit, inveniebantur. Sunt ergo libri isti originis ecclesiasticae et Ecclesiis proprii. Characterem ecclesiasticum libri parochiales etiam post leges imperiales ad finem praeteriti saeculi de illis latus retinuerunt, et Episcoporum nullo non tempore erat, determinare, quomodo libri isti gerendi et asservandi sint, et inspicere, an omnia praescripta rite observentur. Characterem ecclesiasticum lib-

rorum parochialium etiam in posterum servari volumus. Hinc mandamus omnibus, ad quos cura librorum horum pertinet:

1. ut in gerendis et asservandis libris hisce et in exarandis testimoniis ex ipsis extractis sedulo observent omnia, quae hucusque ecclesiastica auctoritate approbata et promulgata fuere.

2. Ut et in posterum eas tantummodo leges quoad matriculas respiciant, quas ordinationes Nostrae promulgabunt, et in libris istis ea tantum describant et adnotent, quae ipsis a Nobis demandabuntur.

3. Ut in specie quoad matrimonia coram magistratu civili contracta prolesque ex iis provenientes ea fideliter teneant, quae Instructione Nostra de die 3. Junii 1868 ordinavimus.

4. Ut, quandocunque gubernium vel officium saeculare cuiusvis nominis inscriptiones vel annotationes in matriculis faciendas mandaverit, ab inscriptione vel annotatione hac exequenda abstineant, rem autem hanc statim ad Nos deferant, mandata Nostra et Instructionem Nostram expectantes. Statutum hoc etiam tum observandum erit, quotiescumque officium aliquod saeculare absque scientia Consistorii Nostri inscriptiones de legitimatis per subsequens matrimonium prolibus, vel correctiones matricularum postulaverit.

5. Quotiescumque dubium circa matriculas gerendas, rubricasque bene replendas exortum fuerit, Consistorium Nostrum consulatur.

6. Evenit non raro, quod parochiani, circa quos vel eorum proles inscriptiones in matriculis facienda sunt, plura ex iis, quae ad bene replandas rubricas scitu necessaria sunt et simul documentis probanda, indicare vel documentis probare nequeant. Experientia animarum pastores saepesaepius edocentur, permagnas difficultates in exigendis hisce documentis provenire. Ut infirmitati humanae parcatur, et tamen, quae ad probe gerendas matriculas requiruntur, comparentur, postulet curatus humaniter a confratre curato, qui haec in suis libris parochialibus conscripta tenet, per epistolam, ut ipsi scitu

necessaria e suis matriculis extracta in privata epistola communicet et testimonio suo corroboret. Cum epistola haec privatum tantum characterem redoleat et insuper ad complendas matriculas inserviat, nulla mulcta ab officio saeculari imponenda hac in re timenda est. Hortamur omnes parochos, ut quotiescunque in hac materia interrogati fuerint, omni fraterna charitate et humanitate sibi invicem necessaria communicent.

## CAPUT VII.

### **De observandis S. Liturgiae praceptis.**

Inter media, quae ad occurrentum aevi nostri malis adhibenda sunt, et inter arma, quibus contra ingruentem inimicorum crucis Christi persecutionem strenue dimicandum est, eminentem occupat locum intima conjunctio cum Ecclesia catholica et filialis obedientia, Antistitibus hujus Ecclesiae omni modo praestanda. Quod si jam a fidelibus laicis haec conjunctio cum Ecclesia et filialis obedientia tanquam fundamentum vitae christiana exigitur, eo magis in sacerdotibus desideratur, qui Christi legatione fungentes dispensatores sunt mysteriorum Dei, et nomine atque auctoritate Ecclesiae divina peragunt ministeria. Nullo non tempore sacerdotes cujusvis nominis et dignitatis memores sint, inter sanctissima illis incumbentia officia illud praecipue numerari, ut in omnibus functionibus peragendis et in dispensatione mysteriorum Dei tanquam morigeri legati et fideles ministri ea omnia rite et religiose exequantur, quae Ecclesia praecipit. Si sacerdos ipse pracepta Ecclesiae suae matris et magistrae contempserit, quomodo obedientiam fidelem a laicis postulabit? Licet fidelis et filialis haec obedientia sacerdotis in quocunque ministerio ab ipso exequendo necessaria sit, praeprimis tamen in offerendo Ss. missae sacrificio, in persolvendo orationis canonicae officio, in cultu divino celebrando et in Ecclesiae Sacraementis Sacramentalibusque administrandis et sacris ritibus peragendis, pro-

prii beneplaciti immemor, ea fideliter observet, quae Ecclesia postulat, ritusque ab Ecclesia receptos et approbatos in alios pro lubitu mutare nequaquam praesumat.

Ut igitur in re tanti momenti ab omnibus sacerdotibus tanquam Christi ministris et fidelibus mysteriorum Dei dispensatoribus procedatur, tum in Concilio provinciali tum in Synodo dioecesana necessaria et utilia de hac materia monita et praescripta promulgavimus, in specie vero mandavimus, ut omnes sacerdotes, quemadmodum in exequendis rituum caeremoniis Ecclesiae praeceptis adstringuntur, ita et ejus lingua utantur, et nequaquam aut majoris aedificationis et uberioris Sacramentorum fructus obtentu, aut sub quocunque alio praetextu a lingua liturgica declinare, eamque cum vernacula commutare praesumant. (Conc. Prov. Tit. IV. Cap. I.)

Provisis jam pridem omnibus, quae quoad Kalendarium, Missale et Breviarium peculiares provinciae Bohemae indigenitiae postularunt, ad editionem etiam novi Ritualis una cum coepiscopis hujus provinciae animum convertimus, sollicite curantes, ut juxta Concilii provincialis decretum paretur nova Romani Ritualis editio, ritibus, quos antiquus provinciae hujus usus tenebat et temporum indigenitiae exoptabant, obtenta eorum a Sede apostolica approbatione locupletata. Editio haec revera anno praeterito in lucem prodiit et refert tum Romanum Rituale juxta approbationem S. Rituum Congregationis ad tramitem Romanarum editionum diligenter exaratum, tum approbatam a Sede apostolica Collectionem rituum particularium a Clero Provinciae Pragensis ex benigna venia ejusdem S. Sedis apostolicae retinendorum. Pro majori commoditate insuper ritus nonnullos ad processiones, solemnioresque functiones spectantes in volumine sub titulo Processionalis Pragensis collectos edi mandavimus.

Tradentes Clero in Christo dilecto libros hosce liturgicos iterum iterumque hortamur, et singulorum conscientias one-rantes obtestamur, ut Rubricas imprimis tum Missali praefixas tum Rituali insertas tanquam instructionem ipsius Ecclesiae

grati docilesque excipient, saepiusque pro opportunitate per-  
volvant, summopere intenti, ut eliminatis quibuscunque abu-  
sibus et consuetudinibus legi Liturgiae repugnantibus divina  
ministeria diligentissime et rectissime peragere discant, et revera  
omnia, quae didicerint, et quoad caeremonias et quoad linguam  
liturgicam accurate et districte observantes in salutem pro-  
priam et aliorum rite peragant.

Equidem Nos non latet, plures sacerdotes editionem libri  
Ritualis optasse et expectasse, qui, si non omnes, saltem multos  
ritus lingua vernacula conscriptos et peragendos contineret, et  
recipientes librum in omnibus fere partibus latinam linguam  
referentem haud contentos fuisse. Meminerint vero hi et omnes,  
ritus in administratione sacramentorum, in exsequiis, in bene-  
dictionibus et liturgicis processionibus praescriptos lingua latina  
secundum vigentem Ecclesiae disciplinam peragi, idque prae-  
cepto ecclesiastico mandari, quod praeceptum nec Apostolica  
Sedes contemni permittit, nec Nos abolere intendimus; memi-  
nerint insuper, ecclesiasticorum rituum vim et efficaciam non  
in verborum intelligentia, sed in sacrorum actuum potestate et  
integritate residere, nec tam ideo institutos esse, ut docendo  
aedificant, quam ut operando sanctificant.

Praecipientes vero, ut ritus sacer latino sermone juxta libri  
Ritualis praescriptum semper et ubique peragatur, inculcamus  
etiam Clero nobis dilecto verba Ritualis Romani dicentis: „In  
Sacramentorum administratione parochus eorum virtutem, usum  
ac utilitatem et caeremoniarum significationes, ut Concilium  
Tridentinum praecipit, ex ss. Patrum et Catechismi Romani  
doctrina, ubi commode fieri poterit, explicabit.“ Proinde non  
tantum permittimus, sed vehementer optamus, ut ad majorem  
fidelium aedificationem pro opportunitate in administrandis  
Sacramentis ceterisque sacris ritibus peragendis sacerdos addat  
brevem explicationem et admonitionem lingua vernacula,  
interdum vero etiam brevem orationem cum populo dicat.  
Ea de causa Manuale rituum saepius per annum recurrentium  
ex Rituali Romano desumptorum, in quotidianum usum ani-

marum pastorum confici jussimus, in quo breves admonitiones et orationes lingua vernacula conscriptae inveniuntur, ut modus pateat, quo cum ritu latine peragendo utilis ad aedificationem instructio in lingua vernacula conjungi posset.

Quod in cultu divino pomeridiano, in sacra hebdomada, in processionibus diei s. Marci et diebus Rogationum peragendis, in comitando funere ad sepulturam, aliisque occasionibus praeter ritum latinum sacra cantica, hymnos et psalmos decantare, precesque et Litanias recitare in lingua vernacula liceat, sat abunde ex ordinationibus Consistorii Nostri, praecipue ex illa de die 26. Aprilis 1871 in folio Ordinariatus N. 7, 8, anni 1871 promulgata, patet.

## CAPUT VIII.

### **De ordine divinorum officiorum statuendo et observando.**

Cum parochorum maxima cura sit, frequentationem divinorum officiorum omnibus modis promovere, et difficultates, quae forsitan fidelibus in frequentando cultu divino enascuntur, removere: videant omnes, quo modo et ordine officia divina pro majori fidelium necessitate et commoditate celebranda et qualiter horae pro iis celebrandis disponendae sint.

In specie civitas Pragensis ordinem officiorum divinorum jam inde a centum annis fere introductum hucusque in paucis tantum immutatum observat, quamvis pro indigentiis temporis nostri immutationes plures in votis et sacerdotum et fidelium esse videantur. Sed etiam in locis per districtus foraneos dispersis magnam utilitatem et commoditatem afferret, si respectu habito ad plures ecclesias sibi vicinas, praecipue ubi unus tantum animarum pastor invenitur, ordo cultus divini ita disponeretur, ut pars fidelium matutino Sacro in una, alia vero pars Sacro summo in altera ecclesia vicina interesse possit. Qua propter statuimus,

1. ut in civitate Pragensi et suburbis ejusdem ad Generalem Vicariatum pertinentibus parochi et ecclesiarum rectores omnia officia divina in ecclesiis ipsorum curae commissis hucusque celebrata diligenter una cum ordine hucusque praescripto adnotent, et dein initis invicem consiliis vota sua et proposita quoad officia divina in posterum observanda et ordinem cultus divini disponendum conscribant, Nobisque porrigant.

2. In ecclesiis parochialibus extra Pragam ordinem convenientem respectu habito ad ecclesias vicinas pro officiis divinis stabiliri, Vicarii foranei curabunt.

Constitutum et approbatum ordinem rectores ecclesiarum fidelibus non tantum ex ambona promulgant, sed in amplioribus locis etiam in folio conscriptum in ecclesia patenti loco affigi curabunt, ut fideles etiam ii, qui concioni non aderant, cognoscant. Quae etiam observanda sunt, quandocunque vel ex ordinatione Nostra vel alia occasione data extraordinariae devotiones et officia divina erunt celebranda.

## CAPUT IX.

### De cultu B. Joannis Sarcander M.

Approbatum per S. Sedem tum Kalendarium tum Proprium Officiorum a Nobis et Episcopis comprovincialibus in usum Cleri Provinciae Pragenae anno 1864 evulgatum inter alia festa nova exhibit celebrandam die 18. Martii memoriam B. Joannis Sarcander, Martyris, Holešoviensis in Moravia quondam parochi, quem Deus „in confessione verae fidei et sacramentalis silentii custodia virtute constantiae roboravit“, quemque „miraculis clarum Pius IX. Pontifex Maximus anno 1860 beatorum coelitum albo accensuit et inter catholicae Ecclesiae Martyres retulit.“<sup>1)</sup>

---

<sup>1)</sup> Sect. II. Noct. in Offic. B. Joan. Sarc.

De quo beatorum Martyrum in coelis et pii cultus fidelium in terris augmento nobismet summopere gratulari oportet, quia B. Joannes Sarcander, postquam in hac quoque metropoli studiis incubuerit, Deo largiente alter post nostrum Divum Joannem Nepomucenum gloriosus sigilli sacramentalis assertor in finitima dioecesi Olomucensi nostrae Provinciae pridem juncta martyrium subiit, adeoque novus nostrae etiam Provinciae divus Martyr et intercessor accrevit. Accedit et illud, saluberrimum Sacramenti poenitentiae fontem praesertim aevo nostro a plurimis etiam fidelibus negligi, imo vilipendi et ab Ecclesiae hostibus iniquissima perfidia ad seducendos fideles profanari. Quum vel ideo animarum pastores oporteat honorem hujus sacramenti pro viribus tueri et, ne fideles salutis suae remedium tam salutare negligant, maxima contentione collaborare, nemo certe inficias ibit, hunc in finem peculiariter conducere posse pium et fidelem cultum utriusque nostri Joannis pro honore Sacramenti poenitentiae Confessoris et Martyris.

Ut itaque Clerus Noster Beatum Sarcander, sacerdotalis pietatis singulare exemplar, „qui linetu linguae in persolutione Breviarii opem manuum in paginis vertendis supplebat“, quique „arcana in exomologesi sibi pandita extorqueri“<sup>1)</sup> de pectore fido minime passus est, peculiari veneratione prosequatur, ejusque cultum inter fideles, quantum poterit, promovere satagat, ardentissime desideramus. Inhaerentes idcirco decretis Concilii Nostri Provincialis de cultu Sanctorum<sup>2)</sup> libentissime curabimus, ut icones B. Joannis Sarcander ad promovendum illius cultum evulgentur et hunc in finem a tergo horum imaginum B. Joannis Sarcander martyrium succincte describatur, additis quoque convenientibus precibus in illius honorem persolvendis. Desideramus etiam, ut libris precatoriis pro populo Nostro evulgandis inserantur aptae preces aliave pietatis exercitia in hujus Martyris honorem. Summopere denique commendamus Clero Nostro, ut obvia fors occasione

<sup>1)</sup> Loc. supra cit.

<sup>2)</sup> Tit. II., Cap. V., §. 2.

opportuna maiores, si a piis benefactoribus offerentur imagines ejusdem Martyris, imo et hinc inde, si nova conduntur in ecclesiis altaria, ea ipsa etiam in honorem illius, quatenus ex voto benefactorum commode fieri poterit, procurare non omittant.

## CAPUT X.

### **De causa super cultu beatae Agnetis reassumta.**

Annuntiavimus Clero Nostro<sup>1)</sup> gratissimum Nobis fuisse reassumere actam pluries pridem causam et processum canonicum super cultu ab immemoriali tempore exhibito Servae Dei *Agneti*, primi Přemyslai Regis filiae et monasterii S. Clarae in Veteri Urbe Pragensi abbatissae, die 6. Martii 1282 fama sanctitatis defunctae. Quo processu praevio hic loci feliciter, prout in Domino speramus, peracto, causam istam die 4. Novembris 1872 ad Sedem Apostolicam detulimus, ardentissime desiderantes et continuo sperantes, fore ut annus jubilaeus noni ab erecto Episcopatu Nostro saeculi Deo largiente fiat insimul annus impetratae feliciter canonisationis B. Agnetis, dictae de Bohemia.

Ut autem Deus qui dedit velle, pro bona sua voluntate det nobis etiam perficere, causam predictam piis precibus et postulationibus Cleri Nostri summopere commendamus, dumque pietati confidimus praesertim sacri et militaris Ordinis Crucigerorum, qui B. Agnetis fundatrixis sui Hospitalis memoriam Officio et Missa recolere consueverunt, nec non pietati Ordinum S. Francisci Seraphici, in quibus felix memoria B. Agnetis, spiritualis filiae S. Francisci, obliterari vix potest: optamus quoque, ut reliquus etiam Clerus dioecesis Nostrae saecularis data quavis occasione ad innovandum immemorialem cultum huic Servae Dei exhibitum conferre satagat, et hunc in finem libellos nuperrime evulgatos de vita B. nostrae Agnetis pro viribus propagare in populo sedulo collaboret.

---

<sup>1)</sup> Folium Ordinarius N. 4 a. D. 1872.

## CAPUT XI.

### De Confraternitate pro cultu Sanctissimi et comparandis sacris supellectilibus.

Varias inter pias sodalitates novissime per singulas dioeceses in usum deductas accensenda est quoque confraternitas pro augenda perpetua adoratione Sanctissimi et ad pauperes ecclesias sacris vasis, paramentis aliisque sacrificii supellectilibus instruendas fundata, atque in Nostra etiam dioecesi per Nos canonice instituta.

Memores eorum, quae tum Concilio Provinciali<sup>1)</sup> tum in prima Nostra Synodo<sup>2)</sup> de promovendo cultu Sanctissimi sancta sunt, eorum quoque non immemores, quae praefatum Concilium Provinciae<sup>3)</sup> de fabrica et supellectili ecclesiastica sapientissime statuit, ardenter optamus in Domino, ut predicta pia confraternitas unitis Cleri Nostri viribus, quantum fieri poterit, per Archidioecesim propagetur, eamque proinde pietati ac zelo Cleri Nostri impense commendamus.

Volumus idcirco, ut Statuta hujus confraternitatis utraque lingua vernacula exarata in appendice actorum et statutorum hujus Synodi publicentur.

## CAPUT XII.

### De Installatione Neobeneficiati.

(Conc. Provinc. Tit. VI. Cap. X.)

Quum intrantis canonice Beneficiati institutio corporalis, passim Installatio dicta eo fine fuerit praescripta, ut sacrum suum ministerium auspicaturus publico et solemni ritu per Antistitis Vicarium gregi sibi concredito praesentetur et in

<sup>1)</sup> Tit. IV. Cap. 4. 5.

<sup>2)</sup> Cap. XVI.

<sup>3)</sup> Tit. V.

Beneficii curam introducatur: nemo non videt, quanti momenti sit Concilii nostri provincialis decretum, cuius tenore hujusmodi introductio Neobeneficiati nulla interposita mora expedienda est. Ex ejusdem Concilii mente Antistites hujus Provinciae, quum in Appendice Ritualis Romani, novissime in usum Cleri nostri editi peculiarem ritum introducendi Neobeneficiatum praescripserint, legis instar apposuerunt Rubricam: „Solemnia haec, quantum fieri potest, diē dominica vel festo fori, institutionem collativam et authorisabilem proxime sequente celebrentur, nec ultra quatuor hebdomadas a die illius institutionis differantur.“<sup>1)</sup>

His innixi legibus innovamus avitum in hac Archidioecesi mandatum, quo neoinstituti animarum pastores districtim obligantur, ut cumprimum Beneficium suum occupaverint, de peragenda intra mensem introductione sua provideant. Quo securius autem strictae exsecutioni legis invigilare valeamus, Vicariis Nostris foraneis injungimus, ut Nos de peracta cujuslibet Neobeneficiati Installatione peculiari relatione certiores reddant.

De caetero Clerum ad reliquas praefati Concilii provincialis et Ritualis Nostri sanctiones de observandis in hujusmodi introductione remittimus, volumusque, ut peculiares Nostrae litterae pastorales, quibus hac occasione novum pastorem gregi suo commendare et utrumque officii sui admonere decrevimus, in ipso solemnis Installationis actu promulgentur.

## CAPUT XIII.

### De Conventione Parochorum eorumque Adjutorum.

(Conc. Prov. Prag. Tit. VI. Cap. VIII.)

Quae de conventione inter Parochos eorumque Adjutores in scriptis exaranda Patres provincialis Concilii Pragensis<sup>2)</sup> sancierunt, non paucis de Clero quodammodo dura et odiosa

<sup>1)</sup> Collect. Rit. particul. in Rituali Rom. pro Clero Prov. Prag. pg. 118.

<sup>2)</sup> Tit. VI. Cap. VIII.

videntur. Sunt videlicet iisque summopere venerabiles viri ecclesiastici, qui legi strictim urgenti liberam potius charitatem praferendam esse censem, qua suggestente melius, quam exarato conventionis instrumento mutua operantium in eadem segete jura atque officia stabilirentur. Sunt porro, qui a confi- ciendo contractu anxia quadam sollicitudine detinentur, ne fors minus faustum mutua cooperatio sortiatur exordium, quodsi vixdum facta prima salutatione protinus „frigidum illud meum ac tuum“<sup>1)</sup> tractandum sit.

Quantacumque vero cura iidem quoque Patres Concilii in votis habuerint, ut praelaudatae charitatis fraternae optabilis mensura et amussis nullibi desit: pari tamen sollicitudine humanae etiam fragilitati consulere volebant, ideoque lege lata querelis fors serius orituris occurrentum esse du- xerunt. Lex enim, quam hunc in finem dederunt, dummodo ab omnibus religiose custodietur, nullius unquam charitatem neque offendere poterit, neque arctare; quum quippe minime impedit, quominus stante etiam legali conventionis instru- mento et praeter illius litteram, suadente spiritu charitatis largiora invicem offerantur laboris et mercedis auxilia.

Nos itaque ex officio nostro pastorali Concilii provincialis Custodes et Vindices praefatam legem ab universo Clero sae- culari, ad quem spectat, districtim servandam et per hanc Archidioecesim nostram in praxin deducendam esse praecipi- mus et vel ideo sequentia statuimus:

1. Contractus vigore decreti Concilii provincialis inter Parochum ejusque Adjutorem in scripto exarandus et a Vi- cario foraneo, addita sua sententia ad Ordinarii examen et confirmationem deferendus sine ulla exceptione intra mensem ab adventu Capellani seu Cooperatoris in aedes parochiales computandum conficiatur. Intra eumdem unius mensis termi- num exarentur hujusmodi conventiones, ubicumque hucusque desiderantur. Vicarios autem Nostros per singulos districtus

---

<sup>1)</sup> S. Chrysost. in Orat. de s. Philog.

obligamus, ut eos omnes, qui praeterlapso hoc unius mensis termino praescriptum conventionis instrumentum in Officio Vicariatus non exhibuerint, perficiendi hujus negotii severe admoneant, et si intra alios octo dies monito haud satisfecerint, sine mora ad Nos referant.

2. In conventionis hujusmodi instrumento consignanter exponantur *a)* singula cultus divini et curae animarum officia, sive sacri muneric functiones, ad quas peragendas tum ipse Parochus, tum ejus Adjutor mutuo se obstrinxerunt; *b)* singula emolumenta, quae Parochus Cooperatori suo praebere voluerit, quaeque tum ad congruentem illius sustentationem domesticam, tum ad assignandam Adjutori aequam partem e proventibus Stolae aliisve beneficii fructibus spectant.

3. Ad congruentem Adjutoris sustentationem domesticam pertinet ordinarie, nisi pacientes aliter convenerint, jentaculum, prandium et coena; quae singula pro loci consuetudine accuratius, praesertim quoad praestandum potum determinentur, porro debita provisio de calefaciendo cubiculo, purgandis linternaminibus, et necessariis servitiis domesticis. — Quoad emolumenta vero Capellano e proventibus Stolae assignanda decernimus, ut ei saltem omnes redditus nomine sic dictae parvae Stolae provenientes adjudicentur, salvis caeteroquin remanentibus juribus amplioribus, quae nonnullis in locis quoad emolumenta Stolae vel consuetudine vel peculiari lege stabilita Cooperatori competunt. — Quae vero nomine parvae Stolae comprehendantur, peculiariter in instrumento conventionis recensenda sunt.

4. Sanctioni Concilii provincialis insistentes districtim jubemus, ut Parochorum Adjutores, nisi necessitas aliter ferat, in domo parochiali habitent, et communem cum Parochio mensam habeant; reservantes proinde Nobis facultatem, concedendi separatam Capellanorum mensam, prout auditis hac in parte votis et perpensa causae gravitate opportunum in Domino judicabimus.

5. Quodsi Parochus ejusque Adjutor conventionem inituri in stabiendis singulis officiis juribusque dissenserint et ex-

ortae difficultates neque Vicario interveniente componi possint: mandamus, ut Vicarius Noster exposita utriusque partis, vide-licet Parochi et Cooperatoris desideria, addito suo proprio voto et consilio ad Nos deferat, qui re perpensa, quid juris et officii fuerit, Auctoritate Nostra determinabimus.

## CAPUT XIV.

### **De clericali vestitu.**

(Conc. Provinc. Tit. I. Cap. VIII. — Syn. dioec. 1863. Cap. VI.)

Summopere dolemus, in Clero tum saeculari tum regulari hucusque inveniri tales, qui „habitum sacrae religionis“ solemniter sibi fuisse impositum minime amplius recordari videntur, quatenus videlicet et professionis suae et legis canonicae immemores vestibus utuntur, e quibus vix dignoscuntur Clerici „ab omni servitute saecularis habitus emundati.“<sup>1)</sup> Hos severe admonemus et in Domino obstringimus, ut serio meditantes, quantopere hujusmodi sive clericalis modestiae neglectu, sive mentis amore saeculi mancipatae manifestatione pium Christi gregem offendant, et ipsorum etiam Cleri osorum ludibrio se exponant, ad sanum ecclesiasticae disciplinae consilium sine mora redeant.

Provocantes praeterea ad Concilii provincialis Decreta de externo Clericorum habitu innovamus omnia et singula, quae in prima Synodo diocesana de vestitu clericali sancivimus, et insuper singulos Cleri Praepositos, nominatim Vicarios Nostros foraneos obligamus, ut ad eliminandum quemcumque in delectu vestium abusum strictissimam istorum Decretorum observationem, opportune et importune instantes, urgeant, et quos contumaces deprehenderint, protinus ex officio suo Nobis denuntiare minime dubitent.

---

<sup>1)</sup> Cf. Pont. Rom. De Clerico faciendo,

## CAPUT XV.

**De Cassa Dioecesana pro indigentiis Cleri.**

Sat notum est omnibus, quanta sollicitudine hucusque laboravimus, ut indigentiis dilecti Cleri Nostri optimo quo possibile esset modo succurratur, et non tantum singulis sacerdotibus propter rerum diversitates ad egestatem redactis temporaria adjumenta praestentur, sed etiam dotatio beneficiorum, eorumque adjutorum augeatur. Hac de causa in Synodo dioecesana fundum sub titulo: „Haereditatis s. Adalberti“ erigi curavimus et regulas, quas societati de hoc fundo parando, augendo et in adjumentum Cleri convertendo prescripsimus, collatis cum Clero consiliis, adprobavimus.

Cum vero inopia Cleri magis magisque cresceret, et fundus seu Haereditas s. Adalberti omnibus indigentiis Cleri vix succurrere posse videretur, auditis Cleri nostri in collationibus pastoralibus congregati votis et desideriis, ad providendum sacerdotum dioecesanorum indigentiis praeter alia, ad quae paterna Nostra cura configiet, remedia, Cassam dioecesanam in hac Synodo condi decernimus, quacum haereditas s. Adalberti uniatur et respective dilatetur. Dum ortam e communi voto Cleri nostri Cassam dioecesanam, ut Deo largiente in dies proficiat et splendida fraternae charitatis haereditas appellari mereatur, unito ac indefesso ejusdem Cleri studio commendamus: illorum imprimis de Clero zelo et liberalitati confidimus, a quorum redditibus e pinguioribus beneficiis provenientibus uberiorem quoque fraternae beneficentiae fructum exspectare licet. De hac vero Cassa dioecesana sequentia Statuta approbamus.

**Statuta de Cassa dioecesana Pragensi s. Adalberti.**

- §. 1. Cassa dioecesana s. Adalberti constituitur
- 1. ad stabilem meliorationem beneficiorum et Capellaniarum, quarum dotatio insufficiens est,

2. ad temporaria adjumenta praestanda presbyteris dioecesanis, qui illis indiguerint,  
quatenus utrique rei non ex aliis fontibus huc pertinentibus provideri potest.

§. 2. Per quodcunque hujusmodi auxilium neque religionis vel alius fundus, neque civilis respublica, nec ulla persona physica moralisve alias obligata a praestatione debita eximitur.

§. 3. Haereditas s. Adalberti anno 1863 instituta cum Cassa dioecesana ita unitur, respective in hanc dilatatur, ut ejus peculium in Cassam dioecesanam transferatur et collationes sociorum cum praestationibus ad Cassam dioecesanam conjungantur, haec vero vicissim omnes obligationes, quae Haereditatis sunt, praestandas suscipiat.

§. 4. Prout Haereditas, ita Cassa dioecesana peculiari tutelae s. Adalberti Episcopi Martyris et Boh. patroni committitur, cuius die festo (23. April.) quotannis Missae sacrificium pro vivis et defunctis sociis et benefactoribus Haereditatis ac Cassae dioecesanae ad sepulchrum ejusdem Sancti offeretur.

§. 5. Cassa dioecesana reditus suos habeat:

1. ex peculio Haereditatis s. Adalberti, servatis propriis ejusdem obligationibus et dedicationibus,
2. ex declaratis Cleri dioecesani collationibus annuis, quae constanter aut pro fixo temporis spatio conductae sunt,
3. e donis clericorum et fidelium sive inter vivos sive mortis causa oblatis,
4. ex aliis receptis, quae forsitan per Reverendissimum Ordinarium ei assignantur vel aliis modis procurantur.

§. 6. Declaratae collationes fiunt secundum liberam singulorum declarationem, prout a) aut benevolentior charitas ditoris cleri, aut b) parata omnium voluntas jusserit, quae saltem aliquam partem minimam de annuo suo proventu sacrificet, ut etiam qui minus locupletes sunt, ad commune charitatis officium, quod universum ligat Clerum, tanquam in communi omnium honore concurrant.

§. 7. Minima pars ex anno proventu contribuenda censetur sine respectu dignitatis e proventu usque ad 400 flor. m. a. 1%; pro singulis ducentis florenorum, quae superant, ½%, donec 8% attingantur, ultra quos nemo obligandus est.

§. 8. Qui ad Cassam dioecesanam majorem aliquam Summam Capitalem ceu donum offert, ejus censem sibi aliisve reservare, vel peculiarem ejus distributionem determinare, vel etiam conditionem aliarum praestationum, quae Cassam dioecesanam non inique onerant, apponere potest. Ista deinde sancte servandae erunt. Idem valet de Missarum stipendiis, de foundationibus Missarum et suffragiorum, sicut de dispositionibus ultimae voluntatis et de capitalibus, quae in favorem Cassae dioecesanae per assecurationem pro casu mortis annuo censu emuntur.

§. 9. Administratio Cassae dioecesanae a Reverendissimo Ordinario Collegio deputatorum committitur, quod Pragae fungitur et in functionibus suis a Clero foraneo per Vicariatus distincto adjuvatur.

§. 10. Collegium administrationis in urbe Pragensi constituunt:

- a) duo Canonici Capituli Metropolitani,
- b) Consistorii Cancellarius,
- c) Canonicus unus a tribus Capitulis Collegiatis Archidioeceseos deputatus,
- d) sex sacerdotes reliqui Cleri, duo videlicet parochi, duo Capellani vel Cooperatores et duo Catechetae vel Professores, qui Pragae aut in ejus viciniis degentes, a respectivis parochis, capellanis et categchetis (professoribus) e suo gremio eliguntur. Electio quotannis fit in Congregatione dioecesana, et quando haberi haec non potest, in Vicariatu Generali, quo in casu etiam exteris sacerdotibus dioecesani liberum est, aut viva voce aut voto per scriptum misso electioni interesse. Electiones quasvis confirmare penes Archiepiscopum est, qui Praesidem quoque libere

nominat. Qui antea electi fuere, denuo eligi semper possunt.

§. 11. Collegio Administrationis, quod necessarios sibi ministros assumit, suprema directio Cassae dioecesanae competit et omnia huc pertinentia disponere ejus officium est. In specie redditus quosvis recipit, in rationes refert, eos tuto asservandos et frugifere collocandos curat, atque praehabitis examinatisque Vicariatum relationibus de distribuendo preventu decernit, ea servata regula, ut, excepta peculiari cuiusdam doni destinatione, annuae collationes singulis quoque annis secundum statuta in usum impendantur.

§. 12. Ut valide decernatur, praesentia saltem sex administratorum praeter Praesidem aut ejus Vicarium requiritur. Majoribus votis concludunt; paribus votis dirimit Praeses. Quodsi currente anno Administratorum aliquis per resignationem aut alio modo decebat, reliqui numerum sua electione compleant valitura usque ad proximam electionem generalem.

§. 13. In auxilium generalis administrationis in singulis Vicariatibus Collegium trium sociorum constituitur, qui tanquam mandatarii fiduciae ceterorum a Clero Vicariatus libere eliguntur et quidem duo per parochos et catechetas in hoc officio proprios, unus per capellanos et cooperatores districtus. Electio ad annum valitura tempore collationis cleri plerumque instituetur. Qui a Collatione casum vel alio electionis loco absunt, votis scripto missis partem eligendi agunt. Antea electi denuo eligi semper possunt.

Collegium Vicariatus formam suorum negotiorum ipsum disponit; ad valorem conclusi vero omnes tres deputati adesse debent. Causa urgente pro impedito reliqui duo tertium libere eligunt.

§. 14. Collegii Vicariatus est:

1. declarationem singulorum, quid ad Cassam dioecesanam pro sua parte saltem minima contribuere velint, considerare et ratam habere,

2. collationes recipere et ad generale Collegium deferre, quod mense Februario, aut forsitan etiam Novembri singulis annis fiat,
3. examinare ac judicare, quae Beneficia vel qui Presbyteri melioratione aut adjumento indigeant, atque summam respectivam singillatim proponere.

Ceterum cuivis sacerdoti indigentiam suam propriis quoque probare scriptis, liberum est.

4. In genere ea consilia et proposita, quae Clero et Cassae dioecesanae prosunt, ad dioecesanum Collegium deferre, hujus vero vicissim mandata recipere et in Vicariatu exsequi. Universim ad Collegium Vicariatus pertinet sollicita et efficax cura, ut Cassa dioecesana promoveatur, in quem finem etiam cuivis presbyterorum licet, suas de re sententias et propositiones immediate ad Collegium mittere dioeceseos.

§. 15. Reverendissimus Ordinarius statuit, num annua computationum ratio in dioecesana Congregatione aut alio modo reddatur. Summa exitus certe in folio Ordinariatus publicanda est. Quinam in synodali Congregatione interveniant, a Reverendissimo Ordinario definitur.

§. 16. Congregationis dioecesanae est, generalem relationem de gestis anni elapsi dijudicare, consilia proponere, in decreta convenire, quae ceterum confirmationi Ordinarii subjacent, et necessarias peragere electiones. In electionibus vota valent relative majora, votis paribus decidit sors.

§. 17. Ille, cui Cassa dioecesana opitulata est, tenetur eodem anno sacrificium Missae pro vivis et defunctis membris et benefactoribus Haereditatis s. Adalberti et Cassae dioecesanae offerre, eorumque animas etiam inter preces et sacrificia, quae persolvit, imprimis vero festo s. Adalberti, Deo commendare.

Nullus, cui ex Cassa dioecesana provisum fuit, beneficia accepta resarcire tenetur. Tamen si res ipsius meliori loco esse cooperint, expectatur omnino, ut deinceps sua quoque ex

parte ad Cassam largius contribuat, et prout potuerit, in condenda ultima voluntate ejus recordetur.

§. 18. Jus proprietatis Cassae dioecesanae pertinet ad universum Clerum saecularem archidioecesis Pragensis, ejusque causas agere atque ultimo de ipsa ad scopum §. 1. expressum disponere, exclusive et soli Celsissimo Archiepiscopo Pragensi reservatur. In casu, quo Cassam dioecesanam scopo praefato non amplius inservire posse judicaverit, ejus peculium indigenitoribus archidioecesis beneficiis distribuendi jus et officium habebit.

## CAPUT XVI.

### **De Unione S. Josephi pro indigentiis Cleri deficientis.**

Etiam si sollicitudo Nostra ad universum Clerum Nobis in Christo dilectum extendatur, speciale tamen curam Nostram sacerdotes hi exigunt, quibus ad ulteriorem laborem in vinea Domini et servitium Ecclesiae praestandum vires defecerunt, et qui senectute vel infirmitate corporis gravati eo magis indigent et merentur, ut ad sublevandas eorum necessitates auxilium conferatur. Sed magnum etiam solatium Nobis praebet erectio Unionis sacerdotum saecularium in hunc finem collaborantium, ut deficientibus sacerdotibus adjumenta sive temporaria sive perpetua praestari possint. Quam Unionem charitati Cleri Nostri enixe commendamus, Statuta ejusdem in sequentibus communicamus, et sacerdotes omnes instanter in Domino rogamus, ut Unionis hujus, quantum poterint, se probent amicos et adjutores, utque praesertim illi e Clero, qui bonis temporalibus largiente diva providentia abundantius provisi sunt, vel donationibus inter vivos ad locupletandum Unionis hujus fundum cooperentur, vel favorabili testamentorum suorum tenore Unioni provideant.

#### **Statuta Unionis s. Josephi.**

§. 1. Unio eum in finem coaluit, ut sacerdotibus saecularibus, quorum vires ad serviendum Ecclesiae defecerunt,

praeter justam pensionem adjumenta sive temporaria sive perpetua (§. 16.) praestet, nomenque gerit S. Josephi.

Per haec adjumenta neque fundus Religionis neque alius a praestationibus Clero debitum liberatur.

§. 2. Quivis sacerdos saecularis Bohemae provinciae ecclesiasticae, qui munere ecclesiastico fungitur, Unionis membrum fieri potest.

§. 3. Membra Unionis aut fundatores sunt aut contribuentes.

§. 4. Fundatores ii sunt, qui Unioni 100 fl. austr. mon. semel pro semper praebent.

§. 5. Qui minorem summam, sed quae 20 fl. austr. mon. superat, Unioni tribuit, benefactor ejus censetur.

§. 6. Contribuentes socii ii sunt sacerdotes saeculares, qui Unioni accedentes pretium fixum accessionis semel, dein vero determinatas annuas symbolas praestant.

§. 7. Secundum aetatis annum contribuentes socii in 5 classes distinguuntur:

1<sup>ma</sup> classis usque ad annum expletum tricesimum solvit 2%,

2<sup>da</sup> „ usque ad quadragesimum plenum 4%,

3<sup>tia</sup> „ supra quadragesimum usque ad quinquagesimum plenum 6%,

4<sup>ta</sup> „ ultra quinquagesimum usque ad sexagesimum plenum 8%,

5<sup>ta</sup> „ ultra sexaginta annos 10%

de declarato suo proventu annuo tamquam pretium accessionis, et quidem intra quatuor annos sive statim sive per partitiones annuas vel semestres. Qui accedit, proventum suum annum declarat, prout voluerit, neque „fassione“ neque „salario“ arctatus, ita tamen, ut summa rotunda per decem plene dividit possit; maxima autem summa mille florenos non superet.

§. 8. Ad annuam collationem contribuentium 2% declarati proventus assignantur, ultra quam partem nunquam ascendere, sed infra quam descendere licet, quandoquidem peculium

Unionis convenienter creverit aut adjumentorum exigentia decreverit, de qua re Congregatio generalis decernit.

§. 9. Proventus initio declaratus postmodum, aucta reddituum summa, secundum §. 7<sup>um</sup> augeri quoque potest, si quidem uberiora suo tempore adjumenta optantur, ita tamen, ut de ipso augmento tum pretium accessionis (§. 7.) tum annua 2% solutio praestari debeat. Spatium temporis, intra quod haec ulterior declaratio facienda est, ad sex menses figitur a die acceptae Investiturae computandos.

§. 10. Ex pecuniis quibusvis influentibus, donis, legatis etc. conficitur Unionis peculium. Etiam onera donorum temporaria ab Unione suscipiuntur.

§. 11. Quum ad administrationem perpetuae expensae requirantur, quarum quantitas a numero sociorum dependet, Congregationis Generalis est, pro centenis sociis minimam vel maximam summam fundi determinare, qui ad iis providendum reservandus est.

§. 12. Ad Unionem se associare aut ex ea secedere liberum semper est, utrumque vero Consilio Administranti per Agentes in Vicariatu significari debet. Qui secedit, ex persolutis pecuniis quidquam repetendi jus nullum habet.

§. 13. Pretium accessionis et annua contributio ad Agentem in Vicariatu mense Januario et Julio praestari debet. Qui post alteram monitionem scriptam infra quatuor hebdomades pecuniam debitam non solverit, tanquam qui sponte valedixit, consideratur et ex numero sociorum deletur. Quodsi iterum se associare voluerit, id non alio modo quam secundum §. 7 et §. 8 efficere poterit.

§. 14. Quilibet socius contribuens in Generali Congregatione sedem habet ac vocem, et in Consilium Administrationis adscisci potest.

§. 15. Qui per decem integros annos Unionis socius fuerit et contributiones statutas rite praestiterit, exinde formale jus acquirit ut, quamprimum inter Quiescentes vel Deficientes exstiterit, ex peculio Unionis annum adjumentum

secundum quantitatem factae contributionis annuae et secundum spatium temporis, quo Unioni aggregatus erat, recipiat. Spatium hoc per integros annos computatur.

Initio sequentia interim valeant:

- a) Socii, qui currente anno 1873 ad Unionem accedunt, jam post elapsos 5 annos,
- b) qui anno 1874 associantur, post elapsos 7 annos, et
- c) qui post hos annos aggregantur, elapsis demum decem annis jus istud annui adjumenti ex peculio Unionis accipiendi nanciscuntur.

§. 16. Adjumenta ex Unionis Cassa inde ab eodem die, quo pensio Quiescentium vel Deficientium e publico fundo incepit, exolvi incipiunt et tunc demum desinunt, quum socius aut ecclesiasticum officium iterum ingreditur aut morte decedit. Quamdiu adjutoria recipit, a contributione annua immunis est.

§. 17. Socii, qui valida Superiorum Ecclesiae sententia ab officio suo remoti fuerunt, durante hac suspensione jure adjumenta accipiendi carent, neque praestitas contributiones repetere possunt. In officio vero redintegrati omnia jura sociorum recipiunt, sed si tempora suspensionis secundum §. 15 ad assignandum futurum adjumentum computari volunt, etiam contributiones illis temporibus congruentes supplere tenentur.

§. 18. Distributio receptus Unionis secundum ea, quae §. 15. interim statuuntur, anno 1878 incipit et singulis annis mense Junio et Decembri eo modo instituitur, ut demitis administrationis expensis tum fructus ex fundo Unionis percepti tum annuae sociorum contributiones Deficientibus membris Unionis distribuantur, et quidem dimidia pars secundum mensuram factae ab ipsis contributionis, altera dimidia pars secundum tempus, quo Unioni aggregati fuere. Pro minima annua distributione 100 fl.; pro maxima 600 fl. statuuntur. Quodsi ex allata distribuendi regula summa 100 fl. non attingeretur, fundus Unionis eo usque defectum supplet, quo usque ipse infra minimum suum paragrapho 11 limitatum non de-

labitur: secus enim nonnisi quae praesto sunt distribui possunt. Si ex allatis regulis pecuniae ultra fixum Maximum distributionis superessent, id quod superabundat ad fundum refertur, nisi ejus quoque Maximum fuerit obtentum, quo casu Congregatio Generalis proxime futura de superabundantibus, ad quid impendantur, decernit.

§. 19. Quamprimum 60 socii coaluerint, Unio constituitur. Donec prima Congregatio Generalis convocetur, negotia Unionis a Collegio curantur, cujus membra Reverendissimus Ordinarius, Unionis quippe Protector, nominaverit.

§. 20. Congregatio Generalis per vota relative majora e gremio suo ad triennium 8 Consiliarios Administrantes eligit, quorum 4 Pragae vel in vicinia urbis habitent. Hi inter se Praesidem eligunt. Munus consiliariorum honoris officium censetur. Tres consiliarii inclusi Praeside ad Sessionem praesentes valide decernunt. Consilium Administrationis sedem suam Pragae habet.

§. 21. Praeses tum Congregationem Generalem dirigit, tum Unionem erga c. r. Magistratus aliasve personas juridice repraesentat.

Sociis, qui ad Congregationem Generalem ipsi adesse non possunt, liberum est, vota sua electiva ad Praesidem Administrationis scripto mittere.

§. 22. Congregatio Generalis agendi sphaeram Consiliariis Administrantibus determinat. Quae de hac re statuuntur, de anno in annum integrari vel immutari possunt.

§. 23. Congregatio Generalis aut ex concluso Consiliariorum Administrantium aut ex scripta 30 sociorum postulatione convocatur. In inductione etiam materia deliberanda propinatur oportet. Congregatio Generalis votis praesentium absolute majoribus decernenda decernit, sed decernere non valet, nisi saltem 20 socii praesentes fuerint.

§. 24. Consiliarii Administrantes Unionis negotia Casuque dirigunt, Agentes nominant et pro rebus a se gestis tenentur.

Quaevis documenta et scripta, ab Unione edita, subscriptione Praesidis vel ejus locum tenentis et unius e Consiliariis Administrantibus indigent.

Eminentissimus Dominus pro benigna assignatione loci, in quo Cassa tuto asservetur, precibus rogabitur.

§. 25. Quaecunque lites, quae vinculum Unionis concernunt, per arbitros, qui ipsi Unionis socii sint, dirimuntur. Singulae litigantium partes singulos arbitros, utraeque tertium simul eligunt, quae si in tertio non conveniunt, sorti nominandum committunt. Tres arbitri inter se praesidem eligunt.

§. 26. Unionis Statuta a Congregatione Generali votis absolute majoribus immutari possunt.

§. 27. Ut Unio ultro dissolvatur, a Congregatione Generali decreto confici potest: sed quaestio, si ageretur, omnibus sociis tribus mensibus ante significanda foret, singulisque, qui ad hanc Congregationem Generalem ipsi venire non possint, jus votum scriptum mittendi reservatur. Ad valorem hujus decreti duae partes omnium revera votantium requiruntur. Qui in ista Congregatione Generali praesentes erunt, votis relative majoribus de fundo Unionis decernunt. Casu, quo Unio publica auctoritate dissolveretur, juridica de peculio Unionis dispositio arbitrio Reverendissimi ac Celsissimi Archiepiscopi Pragensis committitur.

## CAPUT XVII.

### De testamentis Cleri.

(Conc. Provinc. Tit. VIII. Cap. IV. — Syn. dioec. 1863, Cap. X.)

Republicantes in hac etiam Synodo, quae de Testamentis Clericorum ex lege et mente Ecclesiae in Concilio nostro provinciali sancita et ad illius tramitem in prima nostra Synodo dioecesana fusius exposita sunt, non possumus Nobis temperare, quin inter alia commendemus Clero Nostro principium et desiderium Benedicti PP. XIV. monentis, consan-

guineos a Clericis sic esse juvandos, „ut minus egeant, non ut ditescant.“<sup>1)</sup> Cui principio innixi innovamus praeprimis illam synodalem commonitionem Nostram, qua Clero, qui de facultatibus originis ecclesiasticae post mortem residuis consanguineos suos aut diuturna famulitii servitia remuneraturus est, commendavimus, ut saltem substantiam haereditariae sortis suo tempore piis causis dicandam esse constituat.<sup>2)</sup> Hac enim ratione Clericus uno eodemque actu duplii officio satisfacere et duplex boni operis meritum acquirere poterit, quatenus videlicet consanguineis et famulis, quoadusque vixerint, annum haereditariae sortis censem ideoque realiter justum adjumentum subministravit, simul autem bene providit, ut illis vita functis sortis substantia piis causis, quas in ultima voluntatis dispositione determinavit, dedicetur.

Quumque hisce praesertim diebus causa sine dubio summopere pia sit, juvare fratres insufficientia dotationis arctatos, imo penuria pressos: provocantes ad Litteras Nostras pastorales de die 30. Maii 1872<sup>3)</sup> et ad publicata in hac Synodo Statuta Cassae dioecesanae ardenter optamus et Clerum Nostrum paterne monemus, ut supradicto modo de haereditariae sortis substantia augmentandae Cassae dioecesanae pie providere satagat, nisi fors facta inter vivos donatione in ejusdem Cassae favorem, reservato utcumque sibi aliisve censu sortis donatae, eidem piae causae succurrere consultius duxerit.

## CAPUT XVIII.

### De observandis Decretis et Statutis synodalibus.

Dum in hac etiam Synodo monere non praetermittimus, ut omnes et singuli Dioecesis Nostrae viri ecclesiastici pari sollertia et fidelitate observandis et in usum deducendis tum Concilii Nostri provincialis Decretis, tum primae, quam lapso

<sup>1)</sup> Bened. XIV. De Syn. dioec. — Lib. VII., Cap. II. N. 4.

<sup>2)</sup> Syn. dioec. 1863. Cap. X. §. 4.

<sup>3)</sup> Fol. Ordin. 10—12.

ab hinc decennio celebravimus, Synodi dioecesanae Statutis continuo incumbant: praecipimus in Domino, ut pauca quidem, sed non minus gravia, quae in hoc conventu synodali collatis Cleri consiliis expendimus et approbabimus, Statuta pie ab omnibus excipientur et ad amussim observentur.

Imprimis obligamus cujuscumque ordinis et dignitatis Superiores, maxime Vicarios Nostros foraneos, ut cunctorum Statutorum synodalium strenuissimos se praebant custodes et exsequutores.

Et quia in Synodis dioecesanis passim notificantur recentia Summorum Pontificum et Sacrarum Urbis Congregationum Decreta: quae necessaria videbuntur, curabimus registrari in Appendice ad hujus Synodi Acta et Statuta.

Ne quis autem in praestandis iis, quae in Synodo statuimus, excusationem praetendere possit: monemus singulos Presbyteros et praesertim curam animarum gerentes districtim hortamur, ut, postquam Synodi hujus Acta et Statuta typis data et per Nos publici juris facta fuerint, hujusmodi editionis exemplar quantocius sibi procurent.

PRAGAE in Seminario Nostro Archiep. die XXIX. Maji anni salutis 1873 ab erectione Episcopatus Pragensis nongentesimi.

**Fridericus,**

*Cardinalis et Archiepiscopus.*

# APPENDIX.

---

(Ad Syn. dioec. Caput. IV.)

**1866. 27. Junii. Decretum supremae Congregationis S. Officii.**

Edictum feria IV. 27. Junii 1866 de casibus Papae reservatis.

Sanctissimus Dominus Noster *Pius PP. IX.* in solita audientia R. P. D. Adssessori sancti Officii impertita, auditis suffragiis Eminentissimorum Patrum Cardinalium Inquisitorum generalium, attentis rerum et temporum circumstantiis, decrevit, e facultatibus, quibus Episcopi aliquique locorum Ordinarii ex concesione Apostolica pollent, absolvendi ab omnibus casibus Sanctae Sedi reservatis, excipiendos semper in posterum et exceptos habendos esse casus reservatos in bulla Benedicti XIV., quae incipit: *Sacramentum poenitentiae.* Et sacrae Congregationi de propaganda fide injunctum voluit, ut in expediendis facultatibus formularum post verba: „*absolvendi ab omnibus casibus Apostolicae Sedi reservatis etiam in bulla Coenae*“ addatur: „*exceptis casibus reservatis in bulla Benedicti XIV., quae incipit Sacramentum Poenitentiae.*“

*Nota.* Casus reservati in praedicta Bulla Benedicti XIV. d. d. 1. Junii 1741 sunt: a) Sacerdotis *attentantis* *absolutionem* personae complicis in materia turpi; b) personae cujuscumque sexus, *falso denuntiantis* sacerdotem aliquem de sollicitatione. Qui casus in Rituali minori pag. 43. sub num. 17. et 18. recensentur.

---

**1869. 12. Octobris. Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia Papae IX. Constitutio, qua Ecclesiasticae Censurae latae sententiae limitantur.**

(de dato 12. Octobris, promulgata die 20. Decembris 1869.)

Romae ex Typographia Rev. Cam. Apost. 1869.

**Pius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.**

Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, Eadem Apostolica Sedes congruum supremae suaे potestatis remedium ac providentiam impendat.

Quamobrem cum animo Nostro jampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate, atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae; Nos ejusmodi incommodis occurtere volentes, plenam earumdem recensionem fieri, Nobisque proponi jussimus, ut diligent adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari, aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, non nisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione convenient, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

**Excommunicationes latae sententiae speciali modo  
Romano Pontifici reservatae.**

Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subjacere declaramus:

1. Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectae existant, eisque credentes eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.
2. Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendantes.
3. Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.
4. Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

5. Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

6. Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.

7. Cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae.

8. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alias laedentes, vel perterefacientes.

9. Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. E. R. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato Ejusdem Romani Pontificis signat<sup>ur</sup>: nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

10. Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

11. Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.

12. Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensisitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innovatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.

**Excommunicationes latae sententiae Romano  
Pontifici reservatae.**

Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subjacere declaramus:

1. Docentes vel defendantes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendantes tanquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV. in Const. *Suprema* 7. Julii 1745. *Ubi primum* 2. Junii 1746. *Ad eradicandum* 28. Septembris 1746.

2. Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.

3. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

4. Nomen dantes sectae *Massonicae*, aut *Carbonariae*, aut aliis ejusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coriphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.

5. Immunitatem asyli ecclesiastici violare jubentes, aut ausu temerario violantes.

6. Violantes clausuram Monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Constit. *Decori* praescriptam.

7. Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.

8. Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

9. Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet cujuscumque sint dignitatis.

10. Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

11. Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritu-alibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V. *Quam plenum* 2. Januarii 1554.<sup>69</sup>

12. Colligentes eleemosynas majoris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.

13. Omnes qui excommunicatione mulcantur in Constitutionibus S. Pii V. *Admonet nos* quarto Kalendas Aprilis 1567, Innocentii IX. *Quae ab hac*

*Sede pridie nonas Novembbris 1591, Clementis VIII. Ad Romani Pontificis curam 26. Junii 1592 et Alexandri VII. Inter ceteras nono Kalendas Novembbris 1660 alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respondentibus.*

14. Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum extremae unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia.

15. Extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.

16. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimen criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

17. Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsis in officiis recipientes.

#### **Excommunicationes latae Sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae.**

Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subjacere declaramus:

1. Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

2. Procurantes abortum, effectu sequuto.

3. Literis apostolicis falsis scienter utentes, vel crimi ea in re cooperantes.

#### **Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.**

Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subjacere declaramus:

1. Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

2. Laedentes aut perterrefacientes Inquisidores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii; ejusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

3. Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Bencplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae De Reb. Ecc.* non alienandis.

4. Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV. Constit. *Universi 20. Augusti 1622 et Benedicto XIV. Constit. Sacramentum poenitentiae 1. Junii 1741.*

Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque, quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse

declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV. *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus Sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

### Suspensiones latae Sententiae Summo Pontifici reservatae.

1. Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliqui omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras apostolicas de sua promotione.

2. Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem Ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

3. Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt Ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.

4. Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, ordinem Sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clero in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

5. Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes.

6. Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eumdem ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensemur declaramus.

7. Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine rejecti fuerint; nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopalibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem Sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

Interdicta latae sententiae reservata.

1. Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incur-  
runt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab  
ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis  
ad universale futurum Concilium appellantia.

2. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario,  
vel delegato Judice, vel a jure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad  
divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admit-  
tentis, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso jure incurront, donec ad arbitrium  
ejus, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Denique quoscumque alios Sacrosanctum Tridentinum suspensos  
aut interdictos ipso jure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto  
eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive  
interdicti Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris  
canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo  
vigore perstiterunt sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine  
quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, nec non quorumcumque  
Collegiorum, Congregationum, coetuum locorumque piorum cujuscumque nominis  
aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus  
et declaramus.

Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis,  
quae ab Apostolica Sede concedi cuvis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi  
unquam debere, aut posse comprehendendi facultatem absolvendi a casibus, et  
censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita, ac  
individua mentio facta fuerit: quae vero privilegia aut facultates, sive a Prae-  
decessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi,  
Societati, et Instituto, etiam regulari cujusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito,  
atque etiam speciali mentione digno a quovis unquam tempore huc usque concessae  
fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas,  
et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus,  
minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus,  
comprehensis, vel non in corpore juris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis  
confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia qua-  
cumque firmitate roboratis quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibus-  
vis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus,  
quatenus opus sit derogare intendimus et derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo  
Episcopis concessam *Sess. XXIV. cap. VI. de reform.* in quibuscumque censuris  
Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas  
Eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini mutationes, derogationes ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Apostolicae Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque praeeminentia, ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cuiuslibet privilegii, aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignorantiter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, aliquaque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Constitutionis, Ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Nono, Quarto Idus octobris Pontificatus nostri anno vigesimo quarto.

*Marius, Card. Mattei, Pro-Datarius.*

*N. Card. Paracciani Clarelli.*

*Visa de Curia Dominicus Brutti.*

*Loco + Plumbi.*

*I. Cugnoni.*

(Ad Syn. dioec. Cap. XI.)

**STANOVY**  
v arcibiskupství Pražském  
řádně zavedené jednoty  
k ustavičnému klanění se  
Nejsvětější  
**Svátosti oltární**  
a ku  
podpoře chudých chrámů.

**STATUTEN**  
des  
in der Prager Erzdiözese  
kanonisch errichteten Vereines  
zur  
beständigen Anbetung  
des  
Allerheiligsten  
**Altars - Sakramentes**  
und zur  
**Ausstattung armer Kirchen.**

Účel této jednoty jest:

I. Přispívat k tomu, aby Pán Ježíš v nejsv. Svatosti oltární vždy více poznáván, milován a veleben byl, aby se Mu tímto způsobem děla náhrada za křivdy, jichž se proti Němu v této prevelebné svátosti někteří dopouštějí.

II. Dle možnosti obdarovati chudé kostely věcmi, jichžto k důstojnému slavení služeb Božích potřebí jest.

Jednota čítá skutečné údy a pouhé účastníky.

Věřící obého pohlaví mohou se státi údy této jednoty.

Každý úd jednoty koná jednou za měsíc po jednu hodinu pobožnost k nejsv. Svatosti a určí sám den a hodinu, v níž by tuto pobožnost nejspíše vykonávati mohl. (Rozumí se den jeden v měsíci, ne pak v témdni.) .

Pobožnost denní zahrnuje čas od 6 hodin z rána až do 6 hodin večer.

Ačkoliv by se s účelem této pobožnosti více srovnávalo, aby se za dne dála v kostele, přece i doma konanou pobožností odpustky se získají.

Horlivosti těch údů, jichžto poměry toho dovolují, se pozůstavuje, chtějí-li sobě k vykoná-

Der Verein stellt sich die Aufgabe:

I. beizutragen, dass Jesus im allerheiligsten Sakramente des Altars immer mehr erkannt, geliebt und angebetet werde, und in aufrichtiger Liebe zu sühnen alle die Unbilden, welche Ihm in diesem hochheiligen Sakramente zugefügt werden;

II. arme Kirchen, welchen die zur würdigen Feier des Gottesdienstes nöthigen Erfordernisse mangeln, mit denselben zu versehen.

Der Verein besteht aus wirklichen Mitgliedern und aus blossen Theilnehmern.

Gläubige beiderlei Geschlechtes können Mitglieder des Vereines sein.

Jedes Mitglied des Vereines hält einmal im Monate eine einstündige Anbetung des hochwürdigsten Gutes und bestimmt hiezu selbst den Tag und die Stunde, welche allmonatlich eingehalten werden wollen. (Unter dem Tage wird das Monatsdatum, nicht aber ein Wochentag verstanden.)

Zur Tagesanbetung gehören die Stunden von Morgens 6 Uhr bis Abends 6 Uhr.

Obwohl es der Absicht mehr entspricht, diese Tagesbetstunde in der Kirche abzuhalten, so können die Vereinsablässe auch dann gewonnen werden, wenn die Betstunde zu Hause stattfindet.

Dem Eifer solcher Mitglieder, denen es die Verhältnisse gestatten, eine Nachtstunde, d. i. in

vání své pobožnosti zvoliti dobu noční, k kteréž se počítá čas od 6 hodin na večer až do 6 hodin z rána. Zvláštní milosti se zúčastní, kdo sobě noční dobu zvolí.

Hodina pobožnosti určena jest přede vším k nábožnému rozjímání, aneb k zбуzevání lásky a vděčnosti, touhy a obětování se Pánu Ježíši a k vykonávání duchovního přijímání. Sluší se při tom modlitи za veškerou Církev, za rozšíření sv. víry, za obrácení hříšníků, zvláště pak za spoluúdy a dobrodince jednoty.

Nechat také jeví údové zvláštní pobožnost k nejsvětějšímu Srdci Pána Ježíše, které především způsobem ve Svátosti oltární mezi námi přebývá, a k utrpení Krista Ježíše, jehož památkou vždy trvající jest právě velebná tato Svátost.

K podporování chudých chrámů přispívají spoluúdové ročně 50 krejcarů r. m. Kdyby ale někomu nebylo možno touto částkou přispívat, uspokojí se jednota almužnou 12 krejcarů ročně.

Účastníci nepožívají dobrodiní odpustků, mají však účastenství v zásluhách a modlitbách jednoty, a jmenovitě v těch, jež se v chudých, jednotou podporovaných chrámech vykonávají.

Účastníkem se státi lze příspěvkem nejméně jednoho zlatého rakouské měny ročně ve prospěch chudých kostelů.

Dárcové, kteří se nezavázali k pravidelným ročním příspěvkům, náležejí k dobrodincům.

Údové se shromažďují každý měsíc ku společné mši sv., již předchází krátký o nejsv. Svátosti jednající výklad, po němž se ohláší záležitosti jednoty, živí i mrtví údové její, zvláště ti, které v minulém měsíci Bůh na věčnost povolal.

V takových místech, kde není dosti údů, aby tam úplný spolek býti mohl, kde tedy jen odvětví jednoty jest, mějtež údové nicméně každého měsíce svou mši sv. a možno-li i zvláštní své výklady.

der Zeit von 6 Uhr Abends bis 6 Uhr Morgens zu wählen, wird die Wahl einer solchen Stunde besonders empfohlen, indem damit reichlichere geistliche Segnungen verbunden sind.

Die Betstunde ist vorzugsweise zu frommen Betrachtungen oder Akten der Liebe und Dank-sagung, des Verlangens, der Aufopferung an Jesus Christus und zur Uibung der geistlichen Communio bestimmt. Man bete dabei für die gesammte Kirche, für die Verbreitung des Glaubens, für die Bekehrung der Sünder und insbesondere für die Mitglieder und Wohlthäter des Vereines.

Eine besondere Andacht werden die Mitglieder auch tragen zum allerheiligsten Herzen Jesu, welches in der hl. Eucharistie so wunderbar unter uns wohnt, und zu dem Leiden Jesu Christi, dessen fortwährendes Denkmal das allerheiligste Sakrament ist.

Die Mitglieder leisten einen Beitrag von mindestens 50 kr. öst. W. jährlich zu Gunsten des frommen Werkes für arme Kirchen. Sollte für Jemanden es unmöglich sein, diesen Beitrag zu leisten, so begnügt sich der Verein mit einem Almosen von 12 kr. öst. W. jährlich.

Die Theilnehmer geniessen nicht die Begünstigung der Ablässe, sie nehmen aber Anteil an den Verdiensten und Gebeten des Vereines und besonders an jenen, welche in den armen, vom Vereine unterstützten Kirchen verrichtet werden.

Man wird Theilnehmer, wenn man jährlich wenigstens 1 fl. öst. W. zum Werke der Unterstützung armer Kirchen beiträgt.

Die Spender, welche sich nicht zu einem regelmässigen Beitrag verpflichten, werden Wohlthäter des Vereines.

Die Mitglieder versammeln sich einmal im Monate zur gemeinschaftlichen Theilnahme an einer heil. Messe, welcher ein kurzer, von dem allerheiligsten Sakramente handelnder Vortrag vorangeht. Am Schlusse des Vortrages werden die Anliegen des Vereines, dessen lebende und verstorbene Mitglieder, namentlich jene, welche während des letzten Monates gestorben sind, in die Gnadenfrucht des hl. Opfers empfohlen.

In solchen Orten, welche nicht volkreich genug sind, um einen vollständigen Verein zu bilden, wo daher nur Zweigvereine bestehen, möge dennoch für eine monatliche hl. Vereinsmesse und nach Möglichkeit auch für eine besondere Unterweisung Sorge getragen werden.

Jednota (hlavní spolek) se utvoří, když se v některém městě nebo v jeho okolí nejméně 744 údů shledá. Údové v jednom místě se nacházející jsou odvětvím jednoty, stojice pod vrchním řízením představené jednoty hlavní.

Každá hlavní jednota dosáhne pro údy své odpustků jednoty kanonickou aggregaci aneb jakmile seznam svých údů arcijednotě zašle.

Proto též od každého odvětví jednoty, byť i sebe méně údů čítalo, každoročně hlavnímu spolku v Praze úplný seznam spoluúdů zaslán býti musí. Seznamy obsahují též jméno, příjmení a stav nového úda, den (datum) a hodinu, jež zvolil k pobožnosti, a roční příspěvek.

Při tom také oznameni budtež, kteří jednotu buđto opustili aneb kdož zemřeli; poňevadž za tyto i při společných službách Božích hlavního spolku, i při mších za zemřelé modlitby konány bývají.

Hlavní jednotu řídí kněz, jejž biskup k tomu ustanoví.

Tomuto řediteli stojí po boku výbor, sestávající z presidentky, vicepresidentky, kasírky, zapisovatelky a několika poradních údů, jež asistentky slují.

Výbor volí rozšiřovatelky, jejichž úkolem jest, pečovati o rozšiřování jednoty, jakož i údy v horlivosti udržovati.

Každá rozšiřovatelka vede knihu, do které jména a obydli oněch osob zaznamenává, ježto k jednotě přistupují. Ona též roční dávky vybírá a jest zároveň splnomocněna příspěvky účastníků a dobrodinců přijímati. Na venkově ráčež p. t. páni farářové a správcové duchovní této úloze laskavě se podrobíti.

Spolkové služby Boží pro německé spoluúdy hlavní jednoty Pražské slavnostně se odvájí každý druhý čtvrtok v měsíci v chrámu

Ein Hauptverein wird gebildet, wenn sich in einer Stadt und deren Umkreise wenigstens 744 Mitglieder zusammenfinden. Die an einem Orte sich befindenden Mitglieder bilden einen Zweigverein, der unter der Oberleitung der Vorsteherin (Präsidentin) des Hauptvereines steht.

Jeder Hauptverein erlangt für seine Mitglieder die Ablässe des Vereines durch die canonische Aggregation, oder wenn er das Verzeichniss seiner Mitglieder an den Erzverein einsendet.

Deshalb ist von sämtlichen Zweigvereinen, mögen selbe auch noch so wenige Mitglieder zählen, an den Hauptverein in Prag alljährlich ein vollständiges Verzeichniss der Mitglieder einzusenden und zwar mit genauer Angabe der Namen, des von denselben zur Anbetung gewählten Tages und der Stunde, endlich mit Angabe und Beischluss der von denselben geleisteten Jahresbeiträge.

Auch sollen jene namhaft gemacht werden, welche etwa wieder aus dem Vereine ausgetreten oder durch den Tod abberufen worden sind, da für Letztere auch bei dem Vereinsgottesdienste des Hauptvereines, sowie bei den Seelenmessern gebetet wird.

Der Hauptverein wird von einem Priester als Direktor geleitet, welchen der Diözesan-Bischof hiezu bestimmt.

Dem Direktor steht ein Ausschuss zur Seite, welcher aus einer Präsidentin, Vicepräsidentin, Cassierin, Schriftführerin und mehreren berathenden Mitgliedern, welche Assistentinnen heissen, besteht.

Der Ausschuss ernennt Verbreiterinnen, deren Aufgabe es ist, für die Verbreitung des Vereines zu sorgen und den Eifer der Mitglieder rege zu erhalten.

Jede Verbreiterin hat ein Büchlein, in welches sie die Namen und Adressen jener Personen einträgt, welche dem Vereine beitreten. Sie hebt die Jahresbeiträge derselben ein und ist auch ermächtigt, Beiträge von Theilnehmern und Wohlthätern einzusammeln. Auf dem Lande werden die hochwürdigen Herren Pfarrer und Seelsorger ersucht, sich dieser Aufgabe zu unterziehen.

Der Vereinsgottesdienst des Hauptvereines in Prag findet an jedem zweiten Donnerstage des Monates für die deutschen Mitglieder in

Páně „slečen anglických“; a sice o 9. hod. jest krátké kázání a na to mše sv. se zpěvem.

Na to po službách Božích shromáždí se výbor ve jmenovaném klášteře k poradě o záležitostech jednoty. Přitom se mohou zároveň jména přistupujících udati, zapsati a roční příspěvky odevzdati.

Služby Boží českých spoluúdů odbývají se každý první čtvrtok v měsíci v chrámu Páně sv. Kajetána a sice v 7 hodin ráno.

By se horlivost a duch obětavosti v jednotě udržely, nevyhnutelně třeba, aby výbor kostelní roucha, pokud možno, dobrovolně pracujícími zhotovovati dával.

K tomu účelu koná se zimního času v jistých hodinách společná práce a tudíž vybízejí se údové, by se četně té práce súčastnovali. Kdy a jak dlouho pracováno bude, ohláší se při spolkových službách Božích.\*)

Každoročně v květnu zřídí se výstava všech věcí, jež z větší části od údů jednoty vyrobeny jsou; čas a místo výstavy ohlási se veřejnými listy nebo jiným vhodným způsobem.

Po výstavě stane se usnešení o rozdávce těchto kostelních svršků. Závisí pak rozdávka úplně na snešení výboru, a tudíž nemůže nikdo, když k jednotě přistupuje, tu podmínu položiti, aby jisté kostely po jeho odporučení obdarovány byly, výbor ale se všemožně přičíni, aby slušným přáním a přímluvám údů vyhověno bylo.

Mezi kostely ku podělení navrženými sluší přednost dátí těm, jež chudoba jejich odporučuje, a sice dle pořádku, v jakémž žádosti své zaslaly. Farní kostely a takové, kde se nejsv. Svátost chová, mají také vždy přednost před kaplemi, při čemž se vždy zvláštní ohled

der Kirche des englischen Fräuleinstiftes statt, und zwar ist um 9 Uhr eine kurze Predigt, hierauf die hl. Messe mit Gesang.

Am selben Tage nach dem Gottesdienste versammelt sich der Ausschuss in einem Zimmer des Stiftes zu den Besprechungen über Vereinsangelegenheiten. Bei dieser Gelegenheit kann auch der Beitritt neuer Mitglieder angemeldet werden und deren Einschreibung erfolgen, auch können die Jahresbeiträge der Mitglieder darunter abgegeben werden.

Der Vereinsgottesdienst für die böhmischen Mitglieder findet an ersten Donnerstage jeden Monats in der St. Cajetan's Kirche um 7 Uhr statt.

Zur Erhaltung des eifrigen und aufopfernden Geistes gehört es wesentlich, dass der Ausschuss die Anfertigung der Paramente, Kirchenwäsche und sonstiger Culterfordernisse möglichst durch freiwillig Arbeitende zu bewerkstelligen sucht.

Zu diesem Zwecke werden in den Wintermonaten gemeinsame Arbeitsstunden veranstaltet, wozu die Mitglieder aufgefordert werden recht zahlreich zu erscheinen. Der Beginn derselben, so wie die hiezu bestimmte Zeit wird vorher bei dem Vereinsgottesdienste vermeldet.\*)

Alljährlich findet in Monate Mai eine öffentliche Ausstellung der meist durch Vereinsmitglieder verfertigten Cultgegenstände statt. Die nähere Bestimmung der Zeit und Art der Ausstellung wird durch die öffentlichen Blätter und sonst auf andere Art kundgemacht.

Unmittelbar nach der Ausstellung erfolgt die Vertheilung sämmtlicher vorhandenen Gegenstände. Dieselbe hängt von der Entscheidung des Ausschusses ab und es kann daher Niemand seinen Beitritt zum Vereine an die Bedingung knüpfen, dass die von ihm empfohlenen Kirchen unterstützt werden. Mit aller Sorgfalt wird der Ausschuss sich aber bemühen, den billigen Wünschen und Empfehlungen der Mitglieder Rechnung zu tragen.

Unter den zu betheilenden Kirchen werden vorzüglich jene berücksichtigt, welche ihre Armut empfiehlt, und unter diesen namentlich jene, welche früher ihre Gesuche eingesendet haben. Pfarrkirchen und solche, wo das allerheiligste Sakrament aufbewahrt wird, haben vor

\*) Zbožným paním naskytuje se zde příležitost, obětavost svou osvědčiti všelikými dárky, jako: látkami, plátnem, krajkami a t. d.

\*) Christlichen Frauen bietet der Verein Gelegenheit, auch anderweitige Spenden z. B. Stoffe, Leinwand, Spitzen u. s. w. zur Ausstattung armer Kirchen zu verwenden.

bráti bude na místa, v nichž údové, účastníci a dobrodinci bydlí.

Žádosti se přijímají po celý rok, a nechat se posílají výboru jednoty pod adresou presidentky, (jíž jest: „J. Jasn. Knězna Berta z Lobkovic, rozená knězna z Švarcenbergů“ v Praze,) aneb pod adresou vicepresidentky: (nyní „slečna Vilemína Gintl, dcera c. k. rady v Praze,“ příčná ulice, číslo 659—II., nové č. 4).

Zvláštní váhu klade jednota na žádosti od pánu vikářů nebo biskupských úřadů odporučené.

V žádosti račež páni faráři stav jméni svých kostelů jasně a zevrubně vypsat a určitě udati věci, kterých jim nejnuttěji jest třeba.

anderen Kirchen und Kapellen stets den Vorzug, ganz besonders aber jene, aus deren Gemeinden dem Vereine Mitglieder, Theilnehmer oder Wohlthäter angehören.

Gesuche werden das ganze Jahr angenommen; diese sind an den Ausschuss des Prager Hauptvereines zu richten, und unter der Adresse der Vereinspräsidentin (derzeit „Ihre Durchl. Fürstin Bertha Lobkowitz, geb. Fürstin Schwarzenberg,“ Prag, Kleinseite, im Palais Lobkowitz,) oder unter der Adresse der Vicepräsidentin (derzeit „Fräulein Wilhelmine Gintl, k. k. Rathstochter, Prag,“ Quergasse, Nr. C. 659—II., neu Nr. 4,) einzusenden.

Besonderen Werth legt der Verein auf die Bestätigung der Gesuche von Seite der bischöflichen Behörden (Vicariate).

Die Herren Pfarrer wollen auch bedacht sein, in den Gesuchen den Zustand ihrer Kirchen in klarer und ausführlicher Weise zu beschreiben und die Gegenstände bestimmt anzugeben, deren sie am dringendsten bedürfen.

### Odpustky pro údy jednoty.

*Plnomocné odpustky:* Jednou v tom měsíci, v kterém kdo k jednotě přistoupil; na den Božího Těla aneb v některý den v oktávě; v první čtvrtk každého měsíce; jednou v měsíci v kterýkoli den; v hodinu smrti při vzývání nejsv. jmena Ježíš; když kdo po vykonané sv. zpovědi a po sv. přijímání v kterémkoli kostele nejsv. Svátost navštíví; o slavnostech nepoškvrněného Početí, Narození, Zvěstování, Očistování a Nanebevzetí Panny Marie; o slavnosti všech Svatých; o památce všech věrných zemřelých; v den sv. Josefa, sv. Apoštola Petra a Pavla, sv. Jana Křtitele a sv. Jana Evangelisty.

*Částečné odpustky:* Sedmi roků a sedmi quadragen, pak 60 dnů za každý dobrý skutek jednou denně.

Plnomocných odpustků získá, kdo vykonal sv. zpověď, přijal Tělo Páně a na úmysl sv. Otce se pomodlil. Spoluúdové, kteří nemohou pro nemoc nejsv. Svátost navštívit, nechat po sv. zpovědi a po sv. přijímání se pomodlí pětkrát „Otče náš“, pětkrát „Zdrávas Maria“ a pětkrát „Sláva Bohu Otci“ atd. k uctění nejsv. Svátosti; pak jednou „Otče náš“, „Zdrá-

### Ablässe für die Mitglieder des Vereines.

Vollkommener Ablass an einem Tage im Beitrittsmonat, dann am Frohnleichnamsfeste oder an einem Tage in der Oktave, am ersten Donnerstage eines jeden Monates, wie auch an einem beliebigen Tage des Monates; ferner in der Todesstunde über Anrufung des heiligsten Namens Jesu. Nach einer jeden mit Besuch des allerheiligsten Sakramentes verbundenen hl. Beichte und Communion; gleichfalls an den Festen der unbefleckten Empfängniss, Geburt, Verkündigung, Reinigung und Himmelfahrt Mariä, zu Allerheiligen, Allerseelen, am Feste des hl. Josef, der hl. Apostel Peter und Paul, des hl. Johannes des Täufers und des hl. Evangelisten Johannes.

Ein unvollkommener Ablass von 7 Jahren und 7 Quadragen, ferner ein Ablass von 60 Tagen für jedes gute Werk täglich einmal.

Zur Gewinnung des vollkommenen Ablasses ist die hl. Beicht und Communion nebst dem Gebete auf die Meinung des hl. Vaters erforderlich. Kranke beten, anstatt das allerheiligste Sakrament zu besuchen, nach der hl. Beicht und Communion 5 Vater unser, 5 Ave Maria und 5 Ehre sei Gott usw. zu Ehren des hochwürdigsten Gutes und noch 1 Vater unser, Ave


vas Maria“ a „Sláva Bohu Otci“ atd. na úmysl sv. Otce.

Pro uvarování úzkostlivosti a pochybnosti vyslovně zde připomínáme, že se k povinnostem jednoty žádný úd pod hříchem nezavazuje. Kdo by však po dva měsíce bez dostatečné příčiny klanění se nejsvětější Svátosti opominul, nezískal by dle obsahu breve papeže Pia VII. žádných odpustků, súčastní se jich ale opět, jakmile uloženou sobě pobožnost zase vykonávati započne.

Maria und Ehre sei Gott usw. auf die Meinung des heil. Vaters.

Um jeder Gewissensangst, wie auch jedem möglichen Zweifel vorzubeugen, wird hiemit ausdrücklich erklärt, dass Niemanden die Einhaltung der Verbindlichkeiten, welche man durch den Beitritt zu diesem Vereine übernimmt, unter einer Sünde verpflichte; jedoch wird die Bemerkung hinzugefügt, dass den Absichten gemäss, welche in dem Breve des Papstes Pius VII. hinsichtlich der Erzbruderschaft der Anbetung zu Rom ausgedrückt sind, jenes Mitglied, welches ohne Ursache zwei Monate nach einander die Anbetung unterlässt, an den Ablassen des Vereines keinen Anteil nehmen soll, es tritt jedoch mit der Wiederaufnahme seiner Verpflichtungen von selbst in den Genuss dieser geistlichen Gnaden wieder ein.





TYPIS CAROLI BELLMANN PRAGAE.